cat, nec profanat, sed facit id, ad quod tenetur ex voluntate Christi. Ad 4. Minister non concurrit positivè ad peccatum alterius, sed permittit tantùm ex justa causa; quod in pluribus aliis contingit. Ad 5. præceptum est negativum conditionatè, si Christus non dispensaverit, & juri suo non cesserit: vel non est dandum sanctum canibus sine causa, sicùt non est occidendum sinè causa. Insupèr istud, præceptum ad litteram est de non annuntiando Evangelio iis, qui instar canum illum dilacerant. Ad 6. N. Ant. Si subsit justa causa v. gr. ad evitandam mortem mihi intentam. Aliundè non adest ibi voluntas Christi. Ad 7. Paritèr id non prohibuit Christus, sicùt prohibuit manifestationem Peccatoris occulti petentis dublicè Sacramenta. Adde, quòd ex manifestatione volentis seipsum occidere non sint nata sequi inconvenientia, sicùt ex nostro casu; tùm quia est de rarò contingentibus; tùm quia facilè potest probari furia, aut amentia volentis seipsum occidere. Ad 8. N. Conseq. Utrumque enim in casu nec permisit, nec præcepit Christus, sicùt præcepit in casu Conclusionis. Adde, quòd ex causa liceret etiam ponere in loco sordido, puta ne conculcaretur ab Infidelibus. Ad ultimum, N. Ant. Quia in Sacramento veritatis non debet haberi fictio & mendacium in facto; neque licèt dare scientèr occasionem idolatriæ, etiamsi materialis tantùm. Aliundè ista ratio non currit pro Sacramentis aliis ab Eucharistia.

DISSERTATIO VII.

DE NUMERO, ORDINE, ET CÆREMONIIS SACRAMENTORUM; NECNON de Sacramentalibus.

Div. Thom. Quæst. 65.

ARTICULUS I.

De Numero Sacramentorum.

DIco (*Hic. q. 65. art. 1. o.*) Sacramenta novæ Legis sunt 7. nec plura, nec pauciora; scilicèt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium. Est de fide contrà Lutheranos & Calvinistas, qui duo vel tria tantùm Sacramenta agnoscunt; quidam enim Baptismum & Cœnam dumtaxat admittunt: alii addunt his duobus Confirmationem, alii Pœnitentiam, alii Ordinem: ità errantes inter se dividuntur.

Prob. 1. Scripturis, quæ de quolibet Sacramento mentionem facient, loca retulimus Dissert. 3. art. 1. require. Itèm referemus, dùm de singulis Sacramentis. Prob. 2. ex constanti Ecclesiæ praxi & sensu. Ecclesiæ quovis tempore damnavit eos qui septenarium Sacramentorum numerum temerabant: sic sæculo 3. damnavit Novatianos, qui Neophytos non confirmabant: sæculo 4. Manichæos, qui nuptias damnabant: sæculo 14. Wiclefiistas, Extremam-Unctionem rejicientes: sæculo 16. Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, quorum alii duo, alii tria tantùm Sacramenta admittebant, ut dictum est. Confir. ex summo consensu Ecclesiæ Græcæ & Latinæ in statuendo septenario Sacramentorum numero. Hunc probant Ritualia Græca, edita à Jacobo Goar, demonstrat Leo Allatus: itèm Jeremias Patriarcha Constant. qui in censura, quà persstringit Augustanam Lutheranorum Confessionem, testatur in Ecclesia Græca septem Sacramenta, nec plura, nec pauciora, recipi.

Prob. 3. ex Conciliis. Concilium Londoniense ann. 1237. auctoritate Ottonis S. Sedis Legati celebratum, numerat 7. Sacramenta assignata. Concilium Florentinum in decreto unionis ann. 1439. sic definit. *Novæ Legis septem sunt Sacramenta: videlicèt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium*; nullo Græcorum contradicente. Concilium Trid. sess. 7. Can. 1. sic pronuntiat: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicèt, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimoninm; aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum; anatema sit.*

Prob. 4. ex Patribus. Tertullianus antiquissimus Scriptor l. de præscript. c. 40. meminit Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & summi Pontificatûs, id est, Ordinis: Pœnitentiæ l. quem inscripsit de hoc Sacramento: itèm Ordinis libr. ad uxorem c. 7. & de præscript. c. 41. ubi addit Ægrotorum curationem, id est, Extremam-Unctionem: Matrimonii l. 2. ad uxorem c. 8. Aug. l. 5. de Bap- c. 20. memorat Baptismum, Eucharistiam, & Oleum, id est, Extremam-Unctionem. Itèm Oleum Ep. 179. Confirmationem l. 2. contrà Litt. Petiliani c. 104. Ordinationem l. 2. cont. Ep. Parmeniani c. 13. & l. 1. de Baptis. c. 1. Pœnitentiam in Ps. 146. Matrimonium l. 1. de nupt. & concupisc. c. 10. Alii verò Patres modò unius, modò alterius, proùt occasio se offerebat, meminerunt. Hinc Magister Sententiarum, qui floruit circà medium sæculi 12. septenarium Sacramentorum numerum tamquàm rem in Ecclesia constantèr & communitèr receptam adstruit nemine reclamante, quamvis in pluribus aliis multos habuerit impugnatores. Deindè S. Thom. & omnes Scholastici, excepto uno Durando, qui Matrimonium è numero Sacramentorum expunxit.

Prob. 5. (*Ib.*) ratione congrua. Auctoris ex similitudine vitæ spiritualis corporali. Ad vitam corporalem tùm privatam, cùm publicam, septem sunt necessaria. 1. Generandus est homo. 2. Augendus & roborandus. 3. Nutriendus. 4. Si infirmatur, sanandus. 5. Reliquiæ infirmitatum removendæ. 6. Quia est animal sociale, constituendi superiores, qui rempublicam & societatem regant. 7. Quia est mortalis, ne pereat societas, necessaria est legitima maris & fœminæ conjuntio ad propagationem. Ità ad vitam spiritualem, quæ conformitatem aliquam habet cum corporali, septem sunt necessaria. 1. Per Baptismum renascimur. 2. Per Confirmationem augemur & roboramur in fide. 3. Per Eucharistiam spiritu nutrimur. 4. Per Pœnitentiam sanamur. 5. Tolluntur reliquæ peccatorum per Extremam-Unctionem. 6. Per Ordinem constituuntur Superiores, qui Ecclesiæ societatem regant. 7. Per Matrimonium fit religiosa prolium propagatio & Christiana educatio; non enim est solùm in officium noturæ, sed est etiam Sacramentum gratiæ.

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. Neque in Scriptura, neque in Patribus invenitur septenarius Sacramentorum numerus; ordine & expressis verbis definitus: imò quidam Patres duorum tantùm, alii trium, alii quatuor meminerunt. S. Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarch. ubi prolixè tractat de Sacramentis c. 2. 3. 4. 5. Baptismi, Confessionis, Eucharistiæ & Ordinis tantùm mentionem facit, c. 7. obitèr Pœnitentiæ; sed nullatenùs Matrimonii, & Extremæ-Unctionis Justinus in apologia Baptismum & Eucharistiam tantùm nominat. Cyrillus in suis Catechesibus & Ambrosius libr. de sacramentis his addunt Confirmationem dumtaxàt R. N. Conseq. Sufficit enim, quòd in Scriptura & Patribus inveniatur res, ex quibus coligitur numerus septenarius Sacramentorum; quod ità esse probavimus. Neque ullus Patrum unquàm asseruit, esse tantùm vel duo, vel tria Sacramenta; sed modò duorum, modò trium, modò plurium meminerunt, prout occasio ferebat, & suo proposito conveniebant. Sic Dionysius non meminit Matrimonii & Extremæ-Untionis, quia ex professò non agebat de Sacramentis, sed de actibus hierarchicis, seu officiis sacris, quæ in Ecclesia solennitèr & cum quadam consecratione exercentur. Nec tamèn omninò siluit de Extrema-Unctione, dùm cap. 4. loquitur de Consecratione *sacri Olei*, quo nomine intelligitur non solùm Chrisma, aut Oleum Catechumenorum, sed etiam infirmorum. Justinus agit de Baptismo & Eucharistia; quia intendebat retundere calumniam Gentilium, qui dicebant, Christianos baptizari malefica superstitione, & eos apponere in sacra Mensa carnes infantium trucidatorum. Cyrillus & Ambrosius ibi instruunt Catechumenos; & ideò loquuntur de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, quæ solebant tùnc simùl eis dari.

Inst. ex Aug. 1. S. Doctor Ep. 118. nùnc 54. & l. 3. de Doctr. Christiana c. 9. numerat tantùm duo Sacramenta, Baptismum, scilicèt, & Eucharistiam. 2. Tract. 120. in Joann. dicit ex latere Christi fluxisse Sacramenta Ecclesiæ, quod & alii Patres dicunt. 3. Consuetum erat antiquis Religionis Mysteria Gentibus occultare. At juxtà Ang. in Ps. 103. duo tantùm, Baptismus & Eucharistia, ocultabantur: *Quid est*, inquit, *quod occultum est & non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ: Opera enim nostra vident Pagani, Sacramenta verò occultantur illis.* R. ad 1. Augustinum alibi aliorum Sacramentorum meminisse, ut probavimus; imò & in iis ip-

ipsis locis objectis alia esse, quàm duo nominata, apertè indicat. Dicit enim 1. loco: *Sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, & communicatio Corporis, & Sanguinis Domini, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* In 2. loco: *Sicuti est Baptismus, & celebratio Corporis Christi*; quo loquendi modo manifestè patet, hæc duo ex pluribus aliis proferri in exemplum. Ad 2. Sub duobus Sacramentis cætera comprehenduntur, quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum, Eucharistia finis, & præstantissimum omnium. Aliundè Aug. loquitur ibi de ædificatione Ecclesiæ, ad quam concurrit *Sanguis Redemptionis*, per quem soluto pretio redempti sumus; & Baptismus, per quem regeneramur. Ad 3. Duo numerat, sed alia non excludit, imò alia asserit ibidèm; dicit enim: *Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, & in cæteris sanctis Sacramentis.* Insupèr Basilius de Spiritu S. c. 2. dicit, *Olei unctionem* etiam occultari. Chrysost. hom. 18. in 2. Cor. inter secreta recenset Ordinationem: si ergo valeat argumentum, debent Hæretici agnoscere Sacramenta Extremæ-Unctionis, & Ordinis.

Obj. 2. Lotio pedum est Sacramentum: ergo sunt plusquàm 7. Sacramenta. Prob. Ant. 1. Est signum sensibile. 2. Est signum gratiæ, Joann. 13. v. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* v. 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*: quæ verba significant mundationem a peccatis venialibus, quæ post gratiam baptismalem committuntur, & significantur pulvere pedum. Et v. 7. *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autèm posteà*: quæ verba indicant significationem mysticam in ea lotione latitare. Et signum a Christo institutum, & præceptum v. 14. *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis*; atqui hæc tria constituunt verum Sacramentum: ergo. R. N. Ant. Namque lotionem pedum non fuisse a Christo Domino institutam, & præceptam tamquàm Sacramentum, certò constat ex ipsa Ecclesia, quæ septem tantùm agnoscit Sacramenta, & cujus disciplina varia, & inconstans circa hanc pedum lotionem evidentèr probat, eam numquàm habuisse ut Sacramentum. Ambros. l. 3. de Sacram. c. 1. testatur, Ecclesiam Romanam omnium Matrem, eam non observare. Ecclesia Hispaniarum, teste Isidoro l. 6. Etymolog. c. 7. non solùm pedes, sed caput baptizandorum lavabat Dominica Palmarum; undè hæc lotio dicta est *Capitilavium.* Eumdem morem servatum fuisse in Gallis, refert Alcuinus l. de Ecclesiasticis officiis. Deindè Ecclesia Hispanica in Concilio Illiber. Can. 48. prohibuit, lavari a Sacerdotibus, & Clericis pedes eorum, qui baptizabantur. De Ecclesia Africana scribit Aug. ad Joann. Ep. 55. aliàs 119. c. 18. *Ne ad ipsum Sacramentum Baptismi videretur pertinere* (lotio pedum), *multi hoc in consuetudine recipere noluerunt: nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitarunt.* Ex quibus evidens est, lotionem pedum numquàm habitam fuisse in Ecclesia ut Sacramentum a Christo institutum, & præceptum, sed in quibusdam ut cæremoniam Ecclesiasticam. Insupèr, si lotio pedum esset Sacramentum remissivum venialium, ut volunt, cur semèl tantùm in anno, & non quotidiè adhibetur, cùm sint quotidiana peccata venialia? Cur ante Baptismum adhibebatur, cùm peccata venialia non dimittantur ante mortalia, quæ per solum Baptismum diluuntur? Itaquè

Ad probat. N. quòd sit signum practicum gratiæ conferendæ vi istius lotionis, quod requiritur ad rationem veri Sacramenti; sed signum fuit humilitatis, & charitatis a nobis exercendæ pro remissione venialium, quam virtutum per hanc lotionem Christus dedit nobis exemplum, juxta illius verba: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci*, &c. Hæc igitùr verba; *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, metaphoricè sunt intelligenda de præcepto humilitatis, & charitatis. Ista: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, non significant gratiæ promissionem per hanc actionem conferendæ, sed comminationem privandi Petrum, vel consortio, & familiaritate Christi, vel sacra mensa, quæ parabatur, vel Regno Cœlorum; non quòd hæc ablutio ut talis esset absolutè necessaria, sed obedientia. Horum autèm verborum: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*; sensus est, quòd, sicùt qui est lotus, est totus, id est, toto corpore, mundus, nec indiget alio lavacro, nisi quo pedes lavet, qui pavimenti pulvere, quod calcat, iteratò infecti sunt; sic in vobis, qui Baptismi lavacro estis toti mundi, solùm leviori aliqua lotione indigent pedes, id est, affectus animi vestri, qui ex terrenarum rerum pulvere, in quo versantur, subindè leves sordes contrahunt: rectè enim per pedes significantur affectus; quia, sicùt corpus pedibus, ita anima movetur affectibus. Hæc autèm lotio perficitur contritione, Sacramento Pœnitentiæ, humilitate, charitate, &c. quorum hæc externa lotio symbolum fuit. Quod addit: *Sed est mundus totus*; non significat, eum ex omni parte mundum esse, qui pedes adhùc immundos habet; sed quòd per Baptismum ità sit mundus, ut possit simplicitèr dici mundus, & justus, etiamsi una aliqua parte adhùc parùm sit immundus. Ex quo sequitur contra Sectarios, quòd regenerati per Baptismum, aut reconciliati per Pœnitentiam, rectè vocentur simplicitèr, & sint justi, quamvis peccata venialia committant. Ità Estius, & Tirinus post S. Aug. Rupertum, & Bernardum. Tandèm horum verborum: *Tu nescis modò, scies autèm posteà*; sensus est: Tu non intelligis modò causam, & mysterium hujus lotionis: *scies autèm posteà*, cum mysterium hoc vobis exposuero versu 12. *Scitis quid fecerim vobis*, &c.

Inst. Ambros. l. 3. de Sacramentis c. 1. dicit, ritum illum lavandi pedes non ad humilitatem, sed etiam ad sanctificationem institutum fuisse: *Ideò*, inquit, *lavat pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat.* Et libr. de Mysteriis c. 6. *Ideò*, inquit, *plantæ ejus* (Petri) *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur: nostra enim propria per Baptismum relaxantur.* S. Bern. serm. in cœna Domini 1. annumerat Sacramentis lotionem pedum. *Ad hoc*, inquit, id est, ad communicationem gratiæ, *instituta omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum lotio, ad hoc deniquè ipse Baptismus.* Deindè dicit, pedum ablutionem esse revera Sacramentum significans remissionem peccatorum venialium: *Nàm*, inquit, *ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem.* Deniquè probat, ablutionem pedum fuisse factam non solùm ad humilitatis exemplum, sed etiam ut Sacramentum ad venialium peccatorum expiationem: *Vis*, inquit, *nosse, quòd pro Sacramento, illud est, non pro solo exemplo factum? illud attende, quod Petro dictum est: si non lavero te, non habebis partem mecum... Undè scimus, quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & a quibus plenè cavere non possumus antè mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo planè, quod offerenti manus, & caput paritèr abluendum, responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut lavet pedes?* Ergo.

R. Ex dictis, hos, & alios Patres, qui similitèr loquuntur, sumere Sacramentum latiori sensu pro omni signo gratiæ, seu remissionis peccatorum, quamvis illam non efficiat, quod tamèn requiritur ad rationem veri Sacramenti novæ Legis; quod est gratiæ signum non speculativum tantùm, sed practicum, id est, per se effectivum illius, quod significat. Neque enim usquàm dicunt, istam pedum ablutionem habuisse per se vim sanctificandi, aut peccata venialia remittendi. Itaquè ad Ambrosium 1. dicit, illum ritum institutum fuisse non solùm ad humilitatem, sed etiam ad sanctificationem, significandam scilicèt, non tamèn efficiendam, nisi per humilitatis, & charitatis exercitium, cujus hæc lotio fuit symbolum, & exemplum. 2. Per hæreditaria peccata non intelligit peccatum originale, quasi per Baptismum non diluoretur, si quidèm expressè dicat l. citato de Mysteriis, & 3. de Sacramentis, *in Baptismo omnis culpa diluitur*: sed per hæreditaria peccata intelligit concupiscentiam, quam ab Adamo hæreditariè, & ex naturali nativitate contrahimus, quamque vocat peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Ità seipsum explicat S. Doctor in Ps. 48. ubi quod libr. de Mysteriis vocaverat *Hæreditaria peccata*, vocat *lubricum calcanei*: *Lavemus, & pedes*, inquit, *ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum; & ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito; & non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis.* Sensus itaquè Ambrosii in utroque loco est, quòd post mundationem baptismalem requiratur adhuc alia, qua hæreditaria concupiscentia contineatur, ne effluat ad quotidiana peccata; & ipsa, si commissa sint, emundentur; quæ emundatio significatur quidèm, sed non efficitur per lotionem pedum, nisi mediante exercitio virtutum, quarum est symbolum. Ad Bernardum 1. annumerat lotionem pedum Sacramentis, proùt Sacramentum latè sumitur pro signo rei sacræ, quam tamèn non efficit. 2. Eodem sensu dicit, pedum ablutionem esse Sacramentum remissionis peccatorum quotidianorum, quia illam significat, non quia illam efficit. 3. Deniquè non esse tantùm institutam in exemplum, sed etiam ut Sacramentum ad venialium peccatorum expiationem, quia illam peregit Christus, non præcisè ut ejus exemplo lavaremus pedes aliarum civilitèr, ut olim fiebat in conviviis, sed ex humilitate, & charitate, quibus diluerentur peccata venialia.

Obj. 3. Sunt septem Ordines, & quilibet, ex S. Thom. est, Sacramentum: ergo sunt plusquàm septem Sacramenta. R. D. Ant. Et omnes sunt Sacramenta absoluta, & absquè ordine ad unum principale, cui deserviant, & quod participent, N. Ordinata ad unum scilicèt Sacerdotium, cui deserviunt, & quod participant, C. Ratione autèm hujus ordinis ad unum principale omnes Ordines dicuntur unum Sacramentum. Undè neganda est Consequentia. Sed de hoc argumento alibi.

AR-

ARTICULUS II.

De comparatione Sacramentorum ad invicem.

HÆC comparatio potest attendi tripliciter: penès ordinem, qui ipsis competit respectivè ad suos proprios fines. 2. quantùm ad dignitatem. 3. quantùm ad necessitatem. Dico 1. (*Ibid. art. 2. o.*) Sacramenta respectivè ad fines proprios convenientèr sic ordinantur: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, Matrimonium. Ità Florent. & Trid. Art. præced. citata.

Prob. (*Ibid*). Sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturalitèr præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis; unum enim est prius, quàm multitudo; atqui quinque prima ordinantur ad perfectionem unius, duo ultima ad perfectionem multitudinis: ergo convenientèr ultimò ponuntur Ordo, & Matrimonium; Matrimonium tamèn post Ordinem, eo quod minùs participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam ordinantur Sacramenta. Inter ea verò, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturalitèr sunt priora illa, quæ per se ordinantur ad perfectionem vitæ spiritualis, quàm illa, quæ ordinantur per accidens, scilicèt, ad removendum accidens nocivum superveniens, cujusmodi sunt Pœnitentia, & Extrema-Unctio: posterior tamèn est naturalitèr Extrema-Unctio, quæ consummat sanationem, quàm Pœnitentia, quæ inchoat. Inter alia verò tria manifestum est, quòd Baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est prior; & deindè Confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; & postmodùm Eucharistia, quæ ordinatur ad consecutionem finis, & est cibus perfectorum, & quasi virorum, quales constituit Confirmatio.

Dices 1. Eucharistia est nutrimentum, & Confirmatio dat augmentum; atqui priùs est nutrimentum, quàm augmentum: ergo. R. (*Ibid. ad 3.*) quòd nutrimentum, & præcedit augmentum sicùt causa ejus, & subsequitur augmentum sicùt conservans hominem in perfecta quantitate, & virtute. Et ideò Eucharistia potest præmitti Confirmationi, ut Dionysius facit in libr. de Ecclesiast. Hier. & potest postponi, sicùt Magister fecit in 4. quem secuti sunt Scholastici, & Concil. Florent. & Trid. nec immeritò, quia Eucharistia est, ut dixi, cibus perfectorum, & quasi virorum, quos constituit Confirmatio.

Dices 2. Pœnitentia præparat hominem ad Eucharistiam; atqui præparatio præcedit perfectionem: ergo. R. D. Ant. (*Ibid. ad 4.*) Pœnitentia præparat hominem ad Eucharistiam per accidens ex suppositione peccati, C. per se, N. Nam, si aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret Pœnitentia ad sumptionem Eucharistiæ.

Dico 2. (*Ibid. art. 5. o.*) Sacramentum Eucharistiæ est inter cætera excellentius, & dignius. 1. (*Ibid*). Quia in Sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialitèr; in aliis autèm Sacramentis continetur tantùm quædam virtus instrumentalis participata a Christo; atqui, quod est per essentiam, est potiùs eo, quod est per participationem: ergo. 2. (*Ibid*). Quia omnia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam tamquam ad finem. In primis manifestum est, quòd Ordo ordinetur ad ejus confectionem, Baptismus ad ejus receptionem, itèm & Confirmatio, qua quis perficitur in fide, quæ est optima dispositio ad Eucharistiam. Pœnitentia, & Extrema-Unctio etiam præparant ad Eucharistiam ex occasione peccati. Tandèm Matrimonium ratione suæ significationis attingit hoc Sacramentum, in quantùm significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quam Eucharistia perficit. Circa Extremam-Unctionem observandum est, quòd, quamvis verum sit per Extremam-Unctionem, quæ tollit reliquias peccatorum, hominem meliùs disponi ad Eucharistiam, & ejus effectum, ideòque sit licitum Extremam-Unctionem Viatico præmittere, ut non raro fiebat antiquitùs, juxta cap. *Ab infirmo* causa 26. q. 7. ubi dicitur: *Sacra Olei Unctione inuncti secundùm statuta SS. Patrum communione Viatici reficiantur*; quia tamen sæpè contingit, quòd ægrotantes in extremis non valeant recipere Communionem, consuetudo obtinuit eos priùs communicare, quàm ungere.

Dico 3. (*Ibid. art. 4. o.*) Tria Sacramenta sunt simpliciter necessaria, Baptismus omnibus, Pœnitentia lapsis, Ordo toti Ecclesiæ, quia *ubi non est gubernator, populus corruet* Prov. 11. Cætera verò Sacramenta non sunt simpliciter necessaria, sed secundùm quid tantùm, id est, utilia ut convenientiùs, & commodiùs finis habeatur. De hac iterùm materia, dùm de singulis Sacramentis.

ARTICULUS III.

De Cæremoniis Sacramentorum.

CÆremoniæ Sacramentorum sunt actus exteriores religiosi. Quædam sunt Sacramentis essentiales, ut sunt quæ versantur circa materiam, & formam, intentionem, & potestatem Ministri, de quibus hùc usquè egimus. Aliæ sunt accidentales, quæ ritum essentialem vel præcedunt, vel comitantur, vel subsequuntur, & sine quibus subsistit Sacramentum. De his generalitèr consideratis hìc agitur; de iis enim, quæ quodlibet Sacramentum in particulari spectant, dicemus suis locis. Igitùr de cæremoniis Sacramentorum ut sic quatuor quærimus: 1. quæ sint earum utilitates? 2. utrùm mysticam, & symbolicam significationem contineant? 3. utrùm sit in Ecclesia potestas eas instituendi? 4. utrùm sit obligatio eas observandi? Undè

Dico 1. Variæ sunt utilitates cæremoniarum in Sacramentis, a Concilio Trid. & ejus Catechismo designatæ. Concilium sess. 22. de Sacrificio Missæ c. 5. sic habet: *Cum natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicèt quædam submissa voce, alia verò clariore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias itèm adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Catechismus part. 2. num. 10. *Ad materiam, & formam*, inquit, *accedunt cæremoniæ, quæ tametsi prætermitti sine peccato non possunt, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat; tamèn, si quandò omittantur, quoniàm rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum est. Ac meritò quidèm a primis usque Ecclesiæ temporibus illud sempèr servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam cæremoniis ministrarentur. Primùm enim maximè decuit, sacris Mysteriis eum Religionis cultum tribuere, ut sancta sanctè tractare videremur. Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipsæ declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum sanctitatem in animos fidelium altiùs imprimunt. Deindè verò mentes illorum, qui eas intuentur, & diligentèr observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis, & charitatem excitant: quò major, & diligentia adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam, & perspectam habeant.*

Ex his habemus, cæremonias valere; 1. ut dignitas Sacramentorum commendetur, eisque reverentia concilietur. 2. ut Ministri videantur sancta sanctè tractare. 3. ut eorum, quæ in Sacramentis peraguntur, virtus, efficacia, mysterium magis innotescant, & quasi ob oculos ponantur, & indè excitetur, & nutriatur fides, & pietas fidelium, eorumque mentes ad contemplationem supernaturalium erigantur. Falso itaquè, & calumniosè nobis imponunt Hæretici 1. nos in his cæremoniis præcipuas cultûs divini partes reponere. 2. nos docere ab eis pendere essentiam Sacramentorum. 3. nos eis tribuere vim sanctificandi, sicùt Sacramentis. Hæc sibi fingunt monstra, ut oppugnent. Pari jure calumniari possunt cæremonias, quas Christus adhibuit in institutione Eucharistiæ, elevando oculos in Cœlum, benedicendo panem, & frangendo; item in institutione Sacramenti Pœnitentiæ insufflando in discipulos, &c.

Dico 2. Cæremoniæ Sacramentorum non sunt institutæ ob solam decentiam cultûs divini, neque ob solum commodum Ministrorum, & adstantium, aut fortuitò; sed etiam ob symbolicam & mysticam significationem, quam continent. Ratio est: 1. Quia alioquin non esset ratio, cur specialitèr fidem, & charitatem fidelium excitarent, & augerent, eorumque mentes ad rerum sublimium contemplationem erigerent, ut loquuntur Trid. & ejus Catechismus, cùm hæc non nisi ratione mysticæ significationis præstent. 2. Omnes antiquæ Legis cæremoniæ erant symbolicæ, & futurorum significativæ. In nova Lege insufflatio Christi in discipulos fuit symbolica, Apocal. 8. incensum est symbolum orationis; & multa alia. 3. Nemo est, qui tot cæremonias in Sacramentis adhiberi solitas, v. gr. in Baptismo consecrationem aquæ cum chrismate; oblationem baptizandi antè fores Ecclesiæ; signum crucis applicatum fronti, pectori, oculis, auribus, & humeris exorcismos, impositionem manuum super caput baptizandi, tactum narium, & aurium cum saliva, degustationem salis, abrenuntiationem Diabolo, unctionem pectoris, & scapularum, &c. nemo est, inquam, qui tot cæremonias ad solam decentiam, aut fortuitò, aut ad sublevamen Ministrorum, & adstantium institutas reputet, cùm sint potiùs in eorum corporale gravamen; sed omnes, iis aliquid sublimè, & divinum significari, apprehendunt.

Dices: Usus cereorum primitùs institutus fuit in sublevamen Christianorum, qui noctu in locis subterraneis sacra peragere cogebantur. Similitèr usus incensi, ut depelleretur fœtor, qui ex his locis exhalabat: ergo. R. Hos usus non ad illos solos fines fuisse institutos, sed etiam in iis mysticam significationem intendisse Ecclesiam. Juxta Hieronymum adversùs Jovin. accendebantur cerei, non solùm ad depellèndas tenebras, sed etiam in signum lætitiæ, & fidei vivæ. Thus, juxta Auctorem (*Infrà q. 8. art. 5. ad 2.*) adhibetur non solùm ad depelendum pravum odorem in reverentiam Sacramenti, sed etiam ad significandum effectum gratiæ, qua sicùt bono odore Christus plenus fuit, & a Christo derivatur in fideles officio Ministrorum, & ideò undiquè thurificato Altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem. Plures alias Sacrificii cæremonias secundum mysticam significationem ibidèm explicat S. Doctor; alias alibi. De omnibus accuratè secundum eumdem sensum discurrit Durandus Episcopus Mimatensis in *Rationali*.

Dico 3. Ecclesia habet potestatem instituendi cæremonias. Prob. 1. Juxta Aug. Epist. 54. aliàs 118. Apost. 1. Cor. 11. hanc potestatem indicavit dicens: *Cætera cùm venero disponam*: & inter hæc, quæ promittit Apostolus, agnoscit Augustinus cæremoniam, seu legem, de Eucharistia jejunè sumenda.

2. Quovis tempore hanc potestatem in se agnovit, & usurpavit Ecclesia. Justinus in fine Apologiæ memorat sacros conventus diei Dominicæ, ordinem precum, benedictionem Antistitum, Diaconorum ministerium, aquæ vinique oblationes, & ritum Eucharistiæ consecrandæ. Tertulianus libr. de Corona militis, abrenuntiationes, quæ fiunt in Baptismo, genuflexiones, signum Crucis fronti impressum, consuetudinem standi in orationibus a Paschate ad Pentecosten, Cyprianus Epist. ad Magnum, Cyrillus Jeros. Serm. ad Catechumenos laudant Exorcismos Baptismi. S. Basilius de Spiritu S. c. 27. cæremonias in Sacrificio Missæ usurpari solitas. Idem probant antiquissima Ecclesiæ, tàm Græcæ, quàm Latinæ, Ritualia, & Liturgiæ. Undè Concil. Trid. sess. 21. c. 2. *Declarat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.*

3 Ratio, quam innuit Trid. apertè evincit. In omni Republica benè ordinata admittenda est potestas disponendi, ordinandi, statuendi, quæ pro rerum, locorum, & temporum varietate sunt necessaria, vel utilia ad ejus conservationem, promotionem, ornatum, & decentiam, civiumque commodum, & salutem temporalem: ergo similis potestas non est Ecclesiæ deneganda in ordine spirituali. Subsumo; atqui ad conservationem, & promotionem Religionis, & cultûs divini, ad Sacramentorum majestatem commendandam, eique reverentiam conciliandam, ad fidem pietatemque fidelium excitandam, fovendam, augendam conferunt cæremoniæ, ut dictum est: ergo.

Dico 4. Ministri, etiam secluso scandalo, aut contemptu, tenentur sub peccato servare cæremonias, sive ab Ecclesia universa, sive a sua particulari Ecclesia præscriptas, in administratione Sacramentorum. Prob. 1. Trid. Sess. 7. Can. 13. his verbis: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, insolemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut commemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut novos alios per quemcumque Ecclesiæ Pastorem mutari posse; anathema sit.* 2. Tenemur sub peccato, etiam secluso scandalo, aut contemptu, obedire superiori legitimè præcipienti. 3. Si cuilibet Pastori privato liceret pro libitu cæremonias Sacramentorum mutare, receptas abolere, antiquatas innovare, aut novas inducere, foret in Ecclesiæ disciplina maxima confusio, & deformitas. Hinc inferes, eum peccare mortaliter, qui omittit aliquam cæremoniam notabilem, puta, si sine vestibus sacris, aut lumine celebret; venialitèr tantùm, qui levem omittit.

ARTICULUS IV.

De Sacramentalibus.

SAcramentalia hìc dicimus, non quòd sint Sacramentorum cæremoniæ, aut Sacramenta pertineant, sed propter aliquam similitudinem cum Sacramentis, quatenùs cùm Sacramenta causent gratiam justificantem; Sacramentalia causant remissionem peccatorum venialium. Sex Sacramentalia communitèr assignantur a Recentioribus Theologis, hoc versu comprehensa.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans significat Orationem Dominicam, aut alias preces ab Ecclesia præscriptas, seu in Ecclesia solemnitèr recitatas. *Tinctus* significat assumptionem, seu aspersionem aquæ benedictæ. *Edens* significat panem benedictum, qui solebat olim dari Catechumenis loco Eucharistiæ, aut etiam baptizatis in die Paschatis; & qui nùnc adhùc datur in quibusdam Ecclesiis diebus Dominicis inter Missarum solemnia. *Confessus* significat confessionem generalem, quæ præmittitur Missæ, aut fit in Prima, & Completorio. *Dans* significat eleemosynam. *Benedicens* Benedictionem Episcoporum, & Abbatum.

Verùm cur largitio eleemosynæ, & Oratio Dominica, nisi fiat nomine Ecclesiæ, aut in loco consecrato, recenseatur inter Sacramentalia, potiusquàm quodvis aliud bonum opus morale, non video. Neque e contrà video, cur inter Sacramentalia non numerentur aspersio Cinerum, benedictio Palmarum, & Candelarum, consecratio Ecclesiarum, & plura alia. Sed quidquid sit de numero Sacramentalium, cùm eis tribuatur a Patribus, & Theologis vis remittendi peccata venialia, quæstio est quomodò illa remittant, àn ex opere operato, àn ex opere operantis?

Dico: Sacramentalia non remittunt venialia ex opere operato, sed ex opere operantis tantùm, & per modum impetrationis. Prob. 1. Nullum est neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque in Patribus fundamentum tribuendo Sacramentalibus vim remittendi peccata venialia ex opere operato. 2. Nullibi legitur, Christum dedisse Ecclesiæ potestatem remittendi immediatè venialia: ergo nec instituendi Sacramentalia, quæ vi propria illa remittant. 3. Quamvis Ecclesiæ tribuatur potestas relaxandi pœnas temporales peccatorum per indulgentias, eò quòd ista relaxatio consistat in sola condonatione extrinseca; attamèn peccatum veniale remitti non potest, quin tollatur ejus macula in anima, in qua Ecclesia nullam habet potestatem. Igitùr Sacramentalia remittunt peccata venialia ex opere operantis, in quantùm excitant motus detestationis illorum, aut reverentiæ in Deum, & res sacras, quibus motibus obtinetur remissio venialium: hujusmodi autèm motus excitant non solùm objectivè sicùt cruces, imagines, prædicationes, &c. sed etiam impetratoriè, quatenùs adhibentur nomine Ecclesiæ, quæ majorem habet vim impetrandi, quàm persona particularis: sæpè enim Princeps concedit precibus totius Communitatis, quod denegat precibus unius particularis.

Ità colligimus ex Angelico Doctore, (*Infrà q. 87. art. 8. o.*) cujus sunt hæc verba: *Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium. Uno modo, in quantum in eis infunditur gratia; quia per infussionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut suprà dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam, & Extremam-Unctionem, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. 2. In quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo Confessio generalis, tunsio pectoris, & Oratio Dominica operantur ad remissionem peccatorum. 3. modo, in quantùm sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas. Et hoc modo Benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis unctio, Oratio in Ecclesia dedicata; & si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.*

TRACTATUS
DE BAPTISMO.

Div. Thom. a Quæst. 76. ad 72.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ
DE BAPTISMO
EX CONCILIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum (*Sub Eugen. IV. anno* 1439. *S. Thom. Opusc.* 5.) Concilii Florentini pro instructione Armenorum.

„PRimum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim memb„ra Christi, ac de corpore efficitur Ecclesiæ. Et cùm per primum „hominem mors introierit in universos; nisi ex aqua, & spiritu „renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in Regnum cœ„lorum introire. Materia hujus Sacramenti est aqua vera, & natu„ralis. Nec refert, frigida sit, àn calida. Forma autèm est: *Ego „te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* Non ta„mèn negamus, quin & per illa verba, (Baptizatur) baptize„tur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. „vel baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, & Filii, & „Spiritûs S. verum perficiatur Baptisma: quoniam, cum principa„lis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, „instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exteriùs Sacramen„tum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, „cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Mi„nister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio compe„tit baptizare. In casu autèm necessitatis non solùm Sacerdos, „vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier, immò etiam Paga„nus, & Hæreticus, baptizare potest, dummodò formam servet „Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia. Hujus Sacra„menti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis; „omnis quoquè pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea „baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: „sed morientes, antequàm culpam aliquam committant, statim „ad Regnum cœlorum, & Dei visionem perveniunt.

Conones Concilii Tridentini de Baptismo (*Sess.* 7. 3. *Martii* 1547. *sub Paulo III.*)

I. „SI quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim „cum Baptismo Christi; anathema sit.

II. „Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de „necessitate Baptismi; atque ideò verba illa Domini nostri Jesu„Christi: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, „ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

III. „Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Eccle„siarum Mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sa„cramento doctrinam; anathema sit.

IV. „Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in „nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. cum intentione faciendi, quod „facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

V. „Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non ne„cessarium ad salutem; anathema sit.

VI. „Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gra„tiam amittere, quantumcumquè pecet, nisi nolit credere; ana„thema sit.

VII. „Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius „tantùm fidei debitores fieri, non autèm universæ Legis Christi „servandæ; anathema sit.

VIII. „Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanc„tæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt; ità ut „ea observare non teneatur, nisi se sua sponte illis submittere vo„luerint; anathema sit.

IX. „Si quis dixerit, ità revocandos esse homines ad Baptismi, „suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt „vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelli„gant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur, „& ipsi Baptismo; anathema sit.

X. „Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, „sola recordatione, & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel ve„nialia fieri; anathema sit.

XI. „Si quis dixerit, verum, & ritè collatum Baptismum ite„randum esse illi, qui apud Infideles fidem Christi negaverit, cum „ad Pœnitentiam convertitur; anathema sit.

XII. „Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; ana„thema sit.

XIII. „Si quis dixerit parvulos, eò quòd actum credendi non „habent, suscepto Baptismo inter Fideles computandos non esse; „ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebap„tizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non „actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathe„ma sit.

XIV. „Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum „adoleverint, interrogandos esse, àn ratum habere velint, quod „patrini eorum nomine, dùm baptizarentur, polliciti sunt; & „ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia „interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucha„ristiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec „resipiscant; anathema sit.

Quæ Baptismi Sacramentum spectant, quatuor Quæstionibus Auctor comprehendit. 1. agit de Sacramento Baptismi secundum se. 2. de ejus Ministro. 3. de suscipientibus illud. 4. de ejus effectu: quæ nos totidèm Dissertationibus discutiemus. Addit alias duas Quæstiones de præparatoriis ad Baptismum, scilicèt de Circumcisione, Catechismo, & Exorcismis: de quibus etiam dicemus.

DISSERTATIO I.
DE SACRAMENTO BAPTISMI SECUNDUM SE.
D. Thom. Quæst. 66.

ARTICULUS I.

Quid sit Baptismus.

BAptismus est vox græca, idem gramaticaliter significans, ac immersio, vel intinctio, & quia, quæ lavantur, solent aquis immergi, vel intingi, ideò apud Græcos, & Hebræos Baptismus usurpatur pro lotione, seu ablutione; Judith. 12. *Baptizabat se in fonte aquæ.* Luc. 11. *Quare non baptizatus est ante prandium.* Similitèr lotiones legales Judæorum dicebantur Baptismata, Marci 19. & Hebr. 9. undè dictus baptismus Joannis, & orta inter Judeos Secta Hemerobaptismarum, qui quotidiè quovis tempore etiam hyemali se lavant; de quibus Justinus in Dial. cum Tryphone. Sensu metaphorico Baptismus significat afflictionem, qua homo instar aquæ mergitur, & absorbetur. Luc. 12. *Baptismo autèm habeo baptizari:* & indè Baptismi nomen Pœnitentiæ & Martirio accommodatur: Pœnitentia enim dicitur Baptismus flaminis, Martirium Baptismus sanguinis. Itèm sensu metaphorico usurpatur etiam Baptismus ad significandam remissionem peccatorum, & gratiarum copiosam effusionem. Act. 1. *Vos baptizabimini Spiritu S.* Et Matth 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni* Tandèm vox *Baptismus* aliquandò adhibetur ad significandum diluvium generale, & transitum maris rubri. 1. Cor. 10. *Omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari.* Præter verò has grammaticales, & metaphoricas significationes, Baptismus usu Scripturæ, & Ecclesiæ significat primùm ex septem Sacramentis. Potest autèm considerari, vel physicè pro composito artificiali ex materia, & forma, vel metaphysicè secundum quod constat genere, & differentia.

Dico 1. (*Hic q.* 66. *art.* 1. *o*) Sacramentum Baptismi, physicè consideratum rectè definitur: *Ablutio corporis sub præscripta verborum forma.* Quia Sacramentum, quod non consistit in re permanenti, sed in actione, ut est Baptismus, ibi perficitur, ubi perficitur sanctificatio; atqui non in aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem perficitur sanctificatio: ergo. Hanc Conclusionem posuit S. Thom. contra Hugonem Victorin. qui l. 2. de Sacram. parte. 6 c. 2. scribit, quod ipsa aqua esset Sacramentum, sic ipsum definiens: *Baptismus est aqua, abluendis criminibus sanctificata.*

Observandum est, ablutionem hic non sumi merè activè, seu præcisè pro actione abluentis; sed, vel ut est motus includens simùl actionem, & passionem; vel, ut volunt Soto, & Nugno, ut est passio tantùm, proùt scilicèt recipitur in homine Baptismi capace. Undè D. Thom. dicit, Sacramentum perfici, ubi perficitur sanctificatio, id est, in suscipiente. Et hinc est, quòd multiplicentur Baptismata, quandò multi sunt, qui baptizantur ab eodem.

Dico 2. Baptismus, metaphysicè sumptus, rectè definitur a Catechismo Rom. *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Quidam addunt ad majorem explicationem, *expressivo sanctissimæ Trinitatis.* Sacramentum est genus, cæteræ particulæ differentia. Variæ insuper circumferuntur appellationes, & definitionus Baptismi secundum varias ejus consideraciones, sive ex parte materiæ, sive ex parte formæ, sive ex parte effectuum, sive comparatè ad alia Sacramenta. Sic dicitur sigillum, quia imprimit characterem, quo homo signatur, & adoptatur in familiam Christi: dicitur Sacramentum fidei; quia in illo fit professio fidei: dicitur illuminatio; quia fides, cujus est Sacramentum, intellectum illuminat: dicitur lavacrum regenerationis, & renovationis; quia per illud homo acquirit primò esse spirituale: dicitur ablutio peccatorum, sepultura hominis cum Christo, circumcisio non manufacta, ratione effectuum.

Observandum cum Auctore, (*Ibid.*) in Sacramento Baptismi (idem dicendum de aliis Sacramentis, præsertim quæ imprimunt characterem) tria importari, scilicèt, Sacramentum, rem tantùm Sacramenti, rem, & Sacramentum simùl. Sacramentum tantùm est ritus exterior, qui significat, & non significatur: res tantùm est gratia, quæ significatur, & non significat: res Sacramentum simùl est character, qui per ritum exteriorem significatur, gratiam interiorem significat.

Ex dictis colliges 1. malè a Sectariis Baptismum reponi in hoc, quod sit signum nudum gratiæ susceptæ, aut cooptationis in societatem Fidelium: pejus a Socino confundi cum Doctrina Evangelica. Coliges 2. nostrum Baptisma non ducere originem a lustrationibus, & baptismatibus Gentilium, & Hebræorum, ut volunt Hæretici, & quidam Catholici: quia Baptismus est institutus a Christo ut Sacramentum, quo homines in Ecclesiam Christi cooptantur, & illius familiæ adscribuntur: lustrationes, quibus profanæ suæ Religioni nomen dabant, sed cæremoniæ quædam superstitiosæ, quibus non solùm sua corpora, sed templa, simulacra, & victimas purificabant, quasi his ad sacra peragenda digniores redderentur; idque non semèl, sed quotiès sacra instituebant. Similitèr Hebræi non per lustrationes, sed per circumcisionem, quæ erat signum fœderis, populo Dei adscribebantur. Lustrationes autèm frequentissimè adhibebant, ut purificationes communes ob contractam immunditiam legalem, vel ob reverentiam sacrorum, & erant ità frequentes apud illos, ut qui conveniebant Joann. Baptistam, utiquè Hebræi, non inquirerent de ipsa lustratione, seu baptismate, quia noverant eas esse apud se frequentissimas, sed de auctoritate: *Quid ergo*, dicebant, *baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Nihil ergo commune præter aquam habet noster Baptismus cum lustrationibus Paganorum, aut Hebræorum.

ARTICULUS II.

De tempore institutionis, & obligationis Baptismi.

SUppono ex dictis de Sacramentis in communi, tamquàm de fide certum, Baptisma fuisse a Christo institutum. Hic quærimus, quandò fuit institutum, & quandò cœpit obligare? Circa utrumque magna est inter Patres, & Theologos opinionum diversitas. Quantùm ad 1. quidam volunt, Baptisma institutum fuisse dumtaxat post Christi Resurrectionem, quandò ipse Christus dixit Apostolis Matth. ult. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* Alii volunt, institutum fuisse ante Christi Passionem, & Resurrectionem; sed quo præcisè tempore, non conveniunt. Quidam dicunt, fuisse institutum tùnc, cum Christus dixit Nicodemo Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Alii censent, tùnc fuisse institutum, cùm Christus ibid. misit Discipulos baptizandum. Alii tandèm, quandò à Joanne fuit baptizatus in Jordane. Quantùm ad 2. quandò nempè lex Baptismi cœpit obligare, non minor est sententiarum varietas. Quidam assignant tempus, quo Christus de nocte Nicodemum est allocutus, ut suprà. Alii diem Pentecostes, cùm Lex Evangelica fuit solemnitèr promulgata. Alii demùm dicunt, Legem Baptismi obligasse statim post Passionem & Resurrectionem Christi, Utramque difficultatem duplici §. expendemus Undè sit

§. I. *Quandonàm institutus fuerit Baptismus?*

DIco. (*Hic q.* 66. *art.* 2. *o.*) Christus Sacramentum Baptismi instituit antè suam Passionem, quandò scilicèt in Jordane fuit baptizatus. Prob. prima pars: 1. Christus antè suam passionem baptizavit, saltèm per suos discipulos, juxtà illud Joann. 3. *Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Et c. 4. *Ut ergò cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quòd Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Joannes, (quamquàm Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus) reliquit Judæam, & abiit iterùm in Galilæam.* Atqui non Joannis baptismate, sed suo baptizabat: ergo antè Passionem suum Baptisma instituerat; usus enim Sacramenti supponit ejus institutionem. Prob. Min. 1. Ibi Christus dicitur baptizare per Apostolos; atqui, si non suo, sed Joannis baptismate, baptizaret, potiùs diceretur Joannes, quàm Christus per discipulos baptizare: ergo. Undè Aug. Epist. ad Seleucianum 265. aliàs 108. *Ipsius*, inquit, *erat Baptismi Sacramentum, ad discipulos autèm baptizandi ministerium pertinebat.* 2. Ibidèm c. 3. cit. v. 25. legitur, quòd facta sit inter discipulos Joannis & Judæos quæstio, quæ purificatio, àn Joannis, àn Christi esset melior? Et quòd conquesti fuerint discipuli, plures accedere ad Baptismum Christi, quàm ad Baptismum Joannis; atqui, si Christus & ejus discipuli Baptismum conferrent, non erat locus quæstioni, nec querelæ, sed potiùs discipuli Joannis congratulati fuissent, quòd Christus, quem Joannes paulò antè comendaverat ut Agnum Dei, Joannis Baptisma probaret: ergo. 3. Nullibi legitur, baptizatos à Christo & ejus discipulis fuisse rebaptizatos; legitur autèm Act. 19. baptizatos. Joannis Baptismate fuisse rebaptizatos. Undè hoc? nisi quia illi & non isti Baptismo Christi erant baptizati: *Dedit Judas Baptismum*, inquit Aug. Tract. 15. in Joann. *& non baptizatum est pòst Judam: dedit Joannes, & baptizatum est pòst Joannem; quia, si datus est à Juda, Baptismus Christi erat.*

Prob. 2. Baptismus est necessarius ad aliorum Sacramentorum receptionem, utpotè eorum jannua; atqui Apostoli in ultima cœna receperunt Eucharistiam, & secundùm Trid. sess. 21. cap. 1. Ordinem Sacerdotalem: ergo erant baptizati. Idque pluribus rationibus probat Aug. Epist. 44. aliàs 163. ad Elusium c. 5. maximè ratione jam facta; & quia non decebat sponsum dare Baptismum amici aut servi. Et Epist. cit. ad Seleucianum docet, quòd quamvis non habeatur in Scripturis, credibile sit tamèn Christum propriis manibus Apostolos baptizasse. Nicephorus verò l. 2. Hist. c. 3. refert ex Evodio Antiocheno Apostolorum successore in suis Commentariis & præcipuè in Epist. quam *Lumen* inscripsit, quòd *Christus manibus ipse suis Petrum tantummodò baptizavit: Petrus verò Andream & filios Zebedæi: ii deincèps reliquos Apostolos: septuaginta autèm illos Petrus & Joannes, Theologus dicus, baptizarunt.* Neque dicas contrà hanc probationem, Christum dispensasse Apostolos, ut alia Sacramenta possent recipere antè Baptismum; nàm 1. obstant auctoritates allatæ. 2. Nullum sive in Scripturis, sive in traditione fundamentum est, aut indicium, nullave ratio adferri potest hujus dispensationis: e contrà valdè incongruum fuisset, Apostolos priùs Ecclesiæ prælatos extitisse, quàm filios.

Prob. 2. Pars. (*Ib.*) 1. Tùnc aliquod Sacramentum censetur institui, quandò accipit virtutem producendi gratiam; Sacramenta enim ex sui institutione habent, quòd conferant gratiam

tiam; atqui hanc virtutem accepit Baptismus, quandò Christus fuit in Jordane baptizatus: ergo. Prob. Minor ex Patribus: Aug. serm. 36. de temp. dicit: *Ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas mysterio Baptismatis consecravit.* Ambros. l. 2. in Luc. c. ult. *Baptizatus est ergo Dominus*, inquit, *non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent*, Hieron. adversus Luciferian. *Dominus noster Jesus Christus non mundatus est in lavacro, quàm lavacro suo universas aquas mundavit.* Greg. Nazianz. Orat. 39. dicit, Christum accessisse ad Baptismum, ut ipsum, a quo baptizaretur, sanciret sanctitate, & in aqua veterem Adam sepeliret. S. Maximus Hom. 7 de Epiphan. *Quòd verò*, inquit, *fluentis Jordanis baptizatur Jesus, non sibi sed nobis baptizatur; non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet: baptizatur novus homo, ut novi Baptismatis constituat Sacramentum:* ergo. Et hinc refellitur responsio Estii, & Gasparis Juenin; qui dicunt, Christi baptismate in Jordane aquas equidèm fuisse sanctificatas, & ordinatas ad regenerationem hominum, non tamèn fuisse donatas virtute sanctificandi, & regenerandi: enim verò Christum sic aquas Jordanis perfecisse, ut jus Baptismatis haberent, ut sanctitatem conferrent, ut veterem Adam sepelirent, ut novo Baptismati consecrarentur, ut novi Baptismatis Sacramentum constituerent: hæc, inquam, sanctorum Patrum dicta apertè significant aquas non solùm esse sanctificatas, sed & ipsa virtute sanctificandi fuisse donatas.

Prob. 2. Tùnc Sacramentum instituitur, quandò ejus materia consecratur, forma designatur, & effectus insinuatur; atqui, quandò Christus fuit in Jordane baptizatus, nostri Baptismi materia fuit consecrata, forma designata, & effectus insinuatus: ergo. Prob. Min. Materia Baptismi est aqua, quæ contactu carnis Christi fuit consecrata, ut patet ex præcedenti probatione: forma est expressio SS. Trinitatis, quæ tùnc fuit designata; tùnc enim vox Patris intonuit, Filius in persona aderat, & Spiritus S. in specie columbæ apparuit. Tandèm effectus fuit insinuatus, dùm aperti sunt cœli; apertio enim Regni cœlorum est Baptismi effectus. Conf. Antequàm Christus baptizaretur in Jordane, non legitur in Evangelio ipsum, aut discipulos baptizasse; statim verò pòst, antè incarnationem Joannis, & intentio Dominicæ prædicationis, legitur baptizasse Joann. 3. ergo congruè assignatur tempus institutionis Baptismi in ipso Christi baptismate; siquidèm anteà non erat, & statim pòst ministrabatur.

Solvuntur objectiones.

OBj. 1. contra 1. partem. Baptismus, sicùt & cætera Sacramenta novæ Legis, habet suam efficaciam a Passione Christi; undè Apost. Rom. 6. ait: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus:* ergo Baptismus non fuit institutus ante Passionem Christi; causa enim præcedit effectum. R. N. Cons. (*Ibid. ad* 1.) Alioquin, nec Eucharistia, nec Ordo instituta fuissent ante Passionem Christi. Igitur ante Passionem Christi, completam scilicèt, Baptismus habebat efficaciam ab ipsa Passione, in quantùm eam figurabat: aliècr tamèn, quàm Sacramenta veteris Legis; nàm hæc erant tantùm figuræ; Baptismus autèm virtutem intrinsecam habebat justificandi a Christo tùnc existente, qui jam Passionem acceptaverat, & inchoaverat, multa patiendo pro salute nostra.

Inst. 1. Christus dumtaxàt post Passionem, & Resurrectionem legem Baptismi edixit Matth. ult dicens, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* ergo. R. N. Conseq. (*Ibid. ad* 2.) Quamvis enim Baptismus esset institutus ante Resurrectionem, non erat tamèn in præcepto; quia tùnc vigebant adhuc legalia, nec debebant homines multiplicibus figuris arctari per Christum, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre. Voluit ergo tùnc solùm Christus, homines, præcipuè Judæos, ad Baptismi exercitium liberè assuefieri. At verò post Passionem, & Resurrectionem non solùm Judæis, sed etiam Gentilibus, sub præcepto necessitatem baptismi posuit, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Eodem sensu intelligendus est Ambros. dùm l. 19. in Luc. dicit, quòd Christus Apostolis post Resurrectionem in Galilæa congregatis *docendi, & baptizandi tribuit potestatem*, id est, tribuit solemniècr potestatem cum intimatione præcepti baptizandi, non solùm Judæos, sed etiam Gentes.

Inst. 2 S. Leo Epist. ad Episcopos, per Siciliam congregatos c. 3. docet, non solùm potestatem, sed, & formam baptizandi traditam fuisse Apostolis post Resurrectionem tantùm, & non antè: *Posteaquàm resurrexit a mortuis*, inquit, *Discipulis suis, in quibus Præsules omnes Ecclesiarum docebantur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes ergo, &c. de quo utiquè eos etiam ante Passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex suâ Resurrectione cœpisse*: ergo. R. ut antè, hæc intelligenda esse de solemni præcepto, & intimatione Baptismi sub tali forma conferendi, non solùm Judæis, ut anteà factum fuerat, sed etiam Gentilibus, quod ante Passionem non fuerat; et significaret, per suam Resurrectionem gratiam regenerationis cœpisse palàm fieri communem, non solùm Judæis, sed etiam Gentibus. Et nisi S. Doctorem sic intelligas, ipsum cum ipsomet conciliare non poteris; dicit enim ibid. c. 6. *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quandò de latere ipsius profluxerunt sanguis Redemptionis, & aqua Baptismatis.* Porrò, si tùnc in morte, quomodò post Resurrectionem? Dicendum itaquè, ut omnia concilientur, Christum in Jordane Baptismum instituisse, in Cruce consummasse, & confirmasse, ante Ascensionem lege lata præscripsisse. Quidam addunt, S. Leonem per *formam* intelligere modum, ritum, & ordinem baptizandi.

Inst. 3. Ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem nondùm erat datus Spiritus S. juxta Joann. 7. *Nondùm erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Fuit autèm glorificatus per Resurrectionem, & Ascensionem: ergo nec institutus Baptismus Christi, qui est in Spiritu S., & aqua. Ità ratiocinantur, & censent Tertull., & Chrysost. R. D. Ant. Ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem nondùm erat datus Spiritus S. visibiliècr, & ea gratiarum, & donorum largitate, qua datus fuit die Pentecostès, C. invisibiliècr, N. Quis enim dubitat, Spiritum S. anteà fuisse datum sanctissimæ Dei Genitrici, Apostolis, Mariæ Magd. imò & pluribus Sanctis, & Patriarchis veteris Testamenti? solutio est Aug. serm. 72. inter 83. Ad Patres laudatos in contrarium, salva eorum reverentia, eos dimittimus, & Aug. pluribusque aliis adhæremus: eo magis quòd, secundùm istud illorum argumentum, nullum Sacramentum ante Domini Ascensionem institutum fuisset, habuissetve efficaciam.

Inst. 4. Ex ipso Aug. qui Tract. 15. in Joann. docet cum pluribus aliis, de latere Christi in Cruce Ecclesiæ Sacramenta fluxisse: ergo. R. N. Conseq. Alioquin dicendum foret, quod etiam alia Sacramenta, præsertim Eucharistia, tùnc instituta fuissent. Sensus ergo est, quòd latere Christi aperto consummatum sit totum meritum, & pretium redemptionis nostræ; ex quo Baptismus, & alia Sacramenta suam ultimam perfectionem hauserunt: ante enim mortem Christi, Baptismus ex sua institutione vim gratiam producendi habuerit, nondùm tamèn aperiebat januam Regni cœlorum, quæ per solam Christi mortem aperta est.

Inst. 5. Ex Matth. 16. colligitur, ante Christi Passionem prohibitum fuisse publicare Mysterium Trinitatis, & quòd Christus esset Filius Dei; atqui id fuisset publicatum ex frequentatione Baptismi: ergo. Undè Optatus Milevit. l. 5. contra Parmen. dicit, Christum neminem per se baptizasse, sed per Apostolos millia hominum pœnitentia, & remissione tincta esse peccatorum. *Sed*, inquit, *nemo tinctus fuerat in Trinitate, nemo ad huc noverat Christum, nemo audierat esse Spiritum S. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges Baptismatis Filius Dei, & dedit viam, qua iretur ad Regnum cœlorum; etiam tùnc præcepit, dicens: ite, docete, &c.* R. 1. N. Min. Ex aliquorum enim Baptismate non sequitur aperta, & publica Trinitatis annuntiatio. 2. N. Maj. Matth. enim 16. non prohibatur annuntiari Trinitatem, sed tantùm prædicari palàm Christum esse Filium Dei; quia nempè indè redemptioni nostræ potuisset injici impedimentum, & Apostoli tùnc adhùc instabiles, & infirmi, atque scandalum in passione passuri, illi mysterio palàm prædicando non erant idonei. Ad Optatum. Sensus est, quòd ante mandatum privatum baptizandi Judæos Apostolis datum nullus erat tinctus in Trinitate; quod verum est. Cùm autèm addit, tùnc datum fuisse baptizandi præceptum, quandò Christus Matth. ult. dixit: *Euntes docete, &c.* intelligit non de mandato privato respectu Judæorum tantùm, sed de mandato solemni baptizandi, non solum Judæos, sed etiam Gentes. Agnoscit enim ipse Optatus l. 5. contrà Donat. in his Christi verbis: *Qui locutus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, ipsos Apostolos Baptismo Christi fuisse baptizatos.

Obj. 2. contra 2. partem Concl. Cùm Christus baptizaretur in Jordane, non instituit Baptismum neque in actu exercito, aliquem baptizando, neque in actu signato, præscribendo ejus ritum, aut formam proferendo: ergo. R. huic argumento variis occurri solutionibus. 1. Christus Baptismum instituit in actu signato, designando, & consecrando materiam, & formam determinando non verbis, sed in figura per præsentiam Trinitatis in signo visibili, ut dictum est. Sufficit autèm ad institutionem Sacramenti, ut materia determinetur, & forma demonstretur, quibus suo tempore conferendum est. 2. Omnino credibile est, etiam tùnc Christum instituisse Baptismum in actu exercito baptizando Joannem: Joanni enim dicenti Matth. 3. *Ego a te debeo baptizari*; respondit Christus: *Sine modo* quasi diceret: fac, quod peto, baptiza me; postmodùm baptizabo te. Ità Hieronym. in c. 3. Matth. dicens: *Pulchrè dixit: sine modo, ut ostenderet Christum in aqua, Joannem a Christo in Spiritu baptizandum.*

Pa-

Pariter probabile est, Christum etiam suis discipulis formam Baptismi tradidisse; ad quam comprobandam, testimonium Patris & columbæ species accesere. Observandum enim, hæc contigisse jam baptizato Christo, & cùm ascenderet de aqua, Matth. 3. & Luc. 3. fortè ut dùm baptizabat, Joannem aut discipulos de ritu & forma Baptismi instrueret: undè Ambros. l. 1. de Sacram. c. 5. dicit, Spiritum S. descendisse, *cùm Dominus noster Jesu-Christus formam baptismatis daret.*

Inst. 1. contra 1. sol Sola designatio materiæ & formæ non sufficit ad institutionem Sacramenti: ergo. Prob. Ant. Luc. 9. Materia & forma Pœnitentiæ designatæ fuerunt in muliere peccatrice, contritio in lacrymis, satisfactio in operibus humilitatis, & forma in Christi verbis *Remittuntur tibi peccata tua*; atqui tamèn tùnc non fuit institutum Sacramentum Pœnitentiæ, sed juxtà Trid. Sess. 14. c. 1. quandò Christus Joann. 22. insufflans in Discipulos dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, &c.* Ergo. R. 1. D. Ant. Sola designatio materiæ & formæ, absquè virtute eis tributa gratiam conferendi, non sufficit ad institutionem Sacramenti, C. cum virtute eis tributa gratiam coferendi, N. Christus autèm in domo Phariæi nulli tribuit vim remittendi peccata, sed ipse summa qua pollebat auctoritate remisit: at verò in Jordane, secundum sanctos Patres priùs laudatos, tribuit aquis vim peccata abluendi. 2. Inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Baptismi hoc est discrimen, quòd Sacramentum Pœnitentiæ non exerceatur nisi à Judice in subditos, secùs Sacramentum Baptismi: Christus autèm non in domo Phariæi, sed Joann. 22. constituit Apostolos Judices ad absolutionem peccatorum.

Inst. 2. Institutio Sacramenti est opus Legislatoris; atqui Christus in Jordane non gessit personam Legislatoris, sed pœnitentis & peccatoris: ergo. R. Omisso Antecedente, N. Min. Nihil enim obstat, Christum in Jordane, & Legislatoris & pœnitentis personam sustinuisse respectivè ad diversa: Pœnitentis personam gessit recipiendo Baptismum, Legislatoris tribuendo aquis vim regenerativam; sicùt in cruce sustinuit personam pœnitentis, factus pro nobis maledictum, simùl & personam Legislatoris, veterem Legem abrogans, & novam condens.

Obj. 3. contrà eamdem partem. Probabilius videtur, institutum fuisse Baptismum, dùm Joann. 3. Christus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* præsertim cùm immediatè pòst istud colloquium legatur Christum baptizasse, velùt procedens, inquit Estius, ad executionem institutionis factæ: ergo. R. N. Ant. Hæc enim verba significant quidèm necessitatem Baptismi in futurum, at non ejus institutionem: sicut hæc: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* exprimunt necessitatem Eucharistiæ, sed non ejus institutionem.

Si petas, quare Christus voluerit baptizari? R. Quia decebat, ut, qui omnem legem non solvere, sed adimplere venerat, omnem justitiam adimpleret: ità ipse Christus Matth. 3. Plures alias rationes adferunt sancti Patres Quidam, ut contactu suæ carnis vim aquis mundandi conferret. Quidam, ut auctoritate sua Baptismum Joannis probaret. Alii, ut suo exemplo ostenderet non negligendum esse Baptismum, etiamsi ab inferiori conferatur.

§. II. *Quandonàm Baptismus cœpit obligare?*

DIco. (*Ib. o.*) Baptismus non fuit in præecepto antè Passionem, & Resurrectionem Christi. Prob. 1. (*Ibid.*) Lex nova, ad quam pertinet Baptismus, non debuit obligare, antequàm Lex vetus obligare desineret; non enim debebant simùl obliigare, & nova debebat succedere veteri tamquàm lux umbræ, & veritas figuræ; atqui Lex vetus antè Passionem & Resurrectionem Christi non desiit obligare: ergo. Prob. Min. 1. Christus Matth. 8. præcipit leproso mundato adire Sacerdotem, ut secundùm Legem munus offerret. 2. Immolatio Agni Paschalis fuit in præcepto usquè ad Christi Passionem, Luc. 22. *Venit dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Jacobum, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.* 3. Christus non venit *solvere legem, sed adimplere*, Matth. 5. Non fuit autèm Lex adæquatè impleta nisi quandò Christus in cruce dixit: *Consummatum est.* 4. Lex duravit, quousquè Sacerdotium fuit translatum, Hebr. 7. Non fuit autèm translatum Sacerdotium nisi in cruce, cùm Christus tamquàm summus Sacerdos semetipsum Deo hostiam obtulit. 5 Ità censent Aug. & Hieron. in mutuis Epistolis. Augustinus distinguit tria tempora respectu legalium: primum antè Passionem, in quo legalia nec mortifera nec mortua erant: secundum à Passione ad Evangelii promulgationem, in quo legalia erant mortua, sed non mortifera: tertium pòst Evangelii promulgationem, in quo legalia erant mortua & mortifera. Et quamvis Hieron ab eo dissentiat quantùm ad secundum, convenit tamèn quantùm ad primum ergo.

Prob. 2. (*Ibid.*) Non debuit Baptismus esse in præcepto, antequàm totam suam perfectionem consequeretur; atqui hanc solùm obtinuit in Passione & Resurrectione Christi: ergo. Prob. Min. Una ex perfectionibus Baptismi est, ut nos configuret Morti & Resurrecctioni Christi, Rom. 6. atqui antè Mortem & Resurrectionem Christi neutri nos poterat configurare: ergo. Accedit authoritas S. Bernardi, qui Epist. 77. ad Hugonem ex professò tractat hanc quæstionem, & probat, hæc Christi verba ad Nicodemum, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* non importare Legem pro tùnc; quia, inquit, *durum austerumque videtur, ut videlicèt verbum absconditum palàm jam noceat, & antè Judex feriat, quàm minetur.*

Observandum est hìc quòd, cùm S. Thom. dicit legalia cessasse in Passione Christi, verisimiliùs debeat inteligi non de Passione præcisa a Resurrectione; sed de Passione completa per Resurrectionem; ità ut, inquit Soto, triduùm Passionis simùl & Resurrectionis habetur pro uno puncto seu uno motu, cujus terminus a quo sit mors seu Passio, & terminus ad quem Resurrectio. Sicùt justificatio nostra, propter quam Christus passus est & rexurrexit, est unus motus duos terminos includens, scilicèt reccessum à peccato ut terminum à quo, & accessum ad gratiam ut terminum ad quem. Alioquin S. Doctor ex cessatione legalium malè inferret: legem Baptismi obligasse *pòst Passionem & Resurrectionem Christi*, sed debuisset tantùm dicere *pòst Passionem Christi*, Et ità interpretantur plures Thomistæ. Undè ad utrumque terminum, scilicèt, Passionis & Resurrectionis, referendum est, quod Christus dixit in cruce: *Consumatum est.* Similièr dicendum, Sacerdotium, quod fuit in morte translatum, non fuisse consummatum & perfectum, nisi per Resurrectionem, immortalitatem, & indefectibilitatem reassumeret, & tùnc solùm adimpletam fuisse illam Davidis de Christo prophetiam: *Tu es Sacerdos in æternum.*

Dico 2. (*Ibid.*) Videtur probabilius, Baptismum fuisse in præcepto Legis pòst Passionem & Resurrectionem Christi. Ratio est: (*Ibid.*) quia, ut probavimus, Lex vetus umbra & figura novæ cessavit in Morte & Passione Christi; ea autem cessante, nova obligare cœpit: non enim umbra recedit, nisi adveniente luce, nec figura tollitur nisi per veritatem & realitatem; ità ut corruptio unius sit generatio alterius. Insuper non est verisimila, Deum voluisse mundum dimitere absquè aliqua lege positiva; atqui fundamentum totius Legis novæ est Baptismus, qui jam erat institutus & in usu: ergo saltèm quoad illum Lex nova tùnc obligare cœpit.

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. contra 1. concl. Joann. 3. Christus antè Passionem dixit Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* atqui hæc verba videntur importare preceptum: ergo. R. D. Min. (*Ibid. ad* 3.) Hæc verba videntur importare præceptum pro futuro tempore, quandò Lex nova obligavit, C. pro præsenti tempore, N. Sic simili phrasi dixit Christus Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et tamèn constat, his verbis non importari præceptum pro tùnc, cum nondùm esset institutum Sacramentum Eucharistiæ, sed pro futuro tempore tantùm.

Inst. 1. Non dixit Christus Nicodemo *oportebit*, sed *oportet vos nasci denuò*; atqui *oportet* designat tempus præsens; & non futurum: ergo. R. D. Min. *Oportet* designat tempus præsens quantùm ad Legem ex tùnc incipientem & obligantem, N. quantùm ad conditionem Legis futuræ, C. Quasi dixisset: oportet eos, qui meam Legem profitebuntur, dùm obligabit, nasci denuò.

Inst 2. Aug. libr. de Fide ad Petrum c. dicit: *Ex illo tempore, quo dixit Christus: nisi quis renatus, &c. fit, ut nemo possit sine Baptismo interiore in Regnum Dei*: ergo. R. Tò *Ex illo tempore* in sensu Augustini non significare ex illo momento, quo Christus hoc dixit Nicodemo, sed ex illo Christi tempore. Comparat enim illud tempus Legis veteris, cùm illo cessavit, & Lex nova incepit in morte & resurrectione Christi; quasi diceret: ex eo tempore, quo Christus Legem antiquam abrogavit & novam condidit, nemo sine Baptismo salvari potest.

Inst. 3. Judæi tenebantur credere Christo & amplecti ejus legem, ad quam præcipuè pertinet Baptismus: ergo R. Equidèm Judæos teneri credere Christo; id est, tenebantur credere, Christum esse Messiam, & esse vera, quæ predicabat, non quidèm ex aliquo præcepto Legis novæ, sed veteris, Deut. 18. & ex Oraculis Prophetarum. Itèm tenebantur amplecti ejus Legem, sed pro eo tempore, quo voluit illam obligare, non voluit autèm illam obligare, nisi cessante veteri in sua Passione.

Inst. 4. Lex Baptismi ante Passionem obligabat Gentiles: ergo a fortiori Judæos. Prob. Ant. Gentilis, qui tùnc voluisset converti a gentilitate, debuisset baptizari: ergo R. N. Ant. ad prob. N. Ant. Gentilis enim tunc potuisset salvari profitendo vel

vel Legem naturæ, vel Legem scriptam: sed casu quo neutrius remedium ad deletionem peccati adhibere voluisset, tùnc debuisset baptizari.

Repones: Si tùnc per Baptismum poterat deleri peccatum: ergo non ampliùs obligabat Circumcisio: ergo jam tùnc extincta erat Lex Mosaica: ergo obligabat Lex nova ex dictis. R. D. primum illatum: ergo ex tùnc jam non obligabat ampliùs Circumcisio, ut erat remedium peccati, C. quantùm ad hoc enim tùnc currebant simùl Lex, & Evangelium, ut docet Auctor 1. 2. q. 103. art. 3. ad 2. Non obligabat ampliùs, ut erat professio Legis Mosaicæ, ad quam tenebantùr omnes Judæi; N. Sicùt, si nùnc aliquis per perfectam contritionem esset justificatus ante Baptismum re susceptum, teneretur nihilominùs baptizari, ut aggregaretur Ecclesiæ.

Dices: Juxta S. Thom. hic, Legalia cessarunt in Passione Christi, quandò dixit: *Consummatum est;* atqui ex dictis cessante Lege veteris, nova cœpit obligare: ergo statim post Passionem, & non solùm post Resurrectionem, Lex nova obligavit, ut S. Thom. & nos post ipsum diximus. R. cùm S. Thom. & nos post ipsum dicimus, Legalia cessasse in Passione Christi, debet intelligi non de Passione præcisa a Resurrectione, sed de Passione completa per Resurrectionem. Vide observationem post 1. Conclusionem.

Obj. 2. contra 2. Concl. Apostoli ipsi post mortem, & resurrectionem Christi observarunt Legalia: ergo non erant mortua. R. N. Conseq. Erant quidèm tùnc mortua, sed non mortifera; & ideò, quamvis nulla tùnc ampliùs esset obligatio ea servandi, nondùm erat tamèn prohibita eorum observatio. Et ità decebat, inquit Aug. tùm ne Lex antiqua crederetur mala, & abominabilis, si statim ut mortifera prohiberetur, sicùt Idolorum cultus: tùm quia, sicùt mortuos aliquandiù servamus, ut majori cum honore sepulturæ tradamus, ità decuit Legem antiquam aliquandiù servari: ut Mater Synagoga cum honore sepeliretur.

Inst. Apostoli non solùm observarunt Legalia, sed & observari jusserunt, ut abstinerent a sanguine, & suffocato; ergo. R. Apostolos ad tempus ex œconomia id præcepisse, ne Judæi, qui sanguinem, & suffocatum abominabantur, offenderentur, & eorum unio cum gentibus conversis impediretur. Ad hæc obligatio non ex Lege veteri, sed ex ipso Apostolorum præcepto oriebatur.

Obj. 3. Lex non obligat, antequàm promulgetur; atqui Lex nova non fuit promulgata, nisi die Pentecostes: ergo antèà non obligabat. R. N. Min. Lex enim nova saltèm quoad Baptismum incepit aliquo modo publicari per suam institutionem, usum, & frequentiam; completè autèm promulgata est quoad sufficientiam in cruce: quandò Christus dixit: *Consummatum est*, & morte sua confirmavit novum testamentum, quod pridiè in Cœna condiderat, evacuato veteri. Distinguitur itaquè duplex Legis promulgatio; una, quam dicunt essentialem, seu potùs, quæ est conditio necessariò, & insupplebilitèr requisita ad rationem Legis, ut quandò princeps existentibus in Curia illam proponit, & intimat: & talis Legis Baptismi promulgatio facta est inchoatè antè Passionem Christi, completè in Passione; eaque sufficit, ut Lex vim obligativam habeat. Altera est solemnior, & accidentalis, ad tollendam subditorum ignorantiam propiùs ordinata, ut quandò Lex per singulas Civitates, aut Provincias a Præcone promulgatur: & hæc novæ Legis promulgatio facta est ab Apostolis Jerosolymis die Pentecostes, & deincèps per universum mundum; undè ante illam Lex nova obligabat: qui tamèn illam ignorabant defectu solemnioris promulgationis, excusabantur a peccato eam transgrediendo.

Inst S. Bernardus Epist. 77. ad Hug. probat, Legem Baptismi non obligasse nisi post sufficientem, & solemnem promulgationem, qua potuit pervenire ad subditorum notitiam; ergo. R. Bernardum nihil aliud velle, quàm quòd ante solemnem, & diffusam hujus Legis promulgationem non peccabat, qui eam ex ignorantia transgrediebatur. *Ex eo tempore tantùm*, inquit, *cuique cœpit antiqua observatio non valere, & non baptizatus quisque novi peccati reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabilitèr ad ejus potuit pervenire notitiam.*

Inferes: ergo a Resurrectione Christi usquè ad Pentecosten Deus reliquit pueros absquè remedio peccati originalis; non enim tùnc ampliùs valebat Circumcisio, utpotè abrogata secundum nos; Baptismus autèm erat incognitus; atqui id videtur repugnare divinæ bonitati: ergo. R. 1. hoc argumentum esse solvendum ab Objicientibus; multi enim etiàm post Pentecosten ignorabant Baptismum, & Circumcisio tùnc, fatentibus Adversariis, erat abrogata. Undè R. 2. Baptismum scientibus fuisse peccati origin. remedium, ignorantibus Circumcisionem, non ut Sacramentum veteris Legis Christi præfigurativum, sed ut remedium Legis naturæ, in quantùm erat fidei protestatio; & sub hac ratione arbitramur cum Soto, Medina, Capreolo, &c valuisse usquè ad sufficientem, & diffusam Legis novæ promulgationem. Et ita loqui debent Adversarii.

Obj. 4. S. Thom. hìc ad 2. dicit, Christum *non solùm Judæis, sed etiam gentilibus imposuisse necessitatem Baptismi sub præcepto, dicens: euntes docete omnes gentes*; atqui hoc dixit Christus octavo tantùm die post resurrectionem: ergo saltèm tùnc solùm, & non statim post resurrectionem, obligavit Lex Baptismi. R. incertum esse, quando Christus hæc verba protulerit. Quidam existimant, protulisse ipsa die resurrectionis vesperi, ut innuitur Marci ultimo. Alii octava die post Resurrectionem, ut innuitur Matth. ult. Fortè autèm S. Thom. fuit in ea opinione, quod hoc sit a Christo dictum ipsa die resurrectionis. Vel dicendum, S. Doctorem tantùm velle, quod Christus mandaverit tùnc Apostolis, ut Legem jam promulgatam, & obligantem non restringerent ad Judæos, ut factum hùc usquè fuerat, sed etiam Gentibus intimarent.

Obj. 5. Trid. sess. 6. cap. 4. dicit, *Post promulgatum Evangelium sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, justificationem fieri non posse*: ergo ante promulgatum Evangelium poterat sine lavacro regenerationis fieri justificatio; sicque tùnc non obligabat Lex Baptismi. R. 1. N. Conseq. quæ malè infertur ex argumento negativo. Ex eo enim quò Concilium dicat, post promulgatum Evangelium justificationem non fieri sine Baptismo, non ideò dicit, quod ante promulgatum Evangelium fieret sine Baptismo. 2. Sed esto id diceret, & suponeret, nihil indè contra nos. Fatemur enim, quòd tùnc temporis ante solemnem Legis promulgationem factam die Pentecostes, licèt Baptismus obligaret, non tamèn erat omnibus necessarius necessitate medii; sed, qui illam Legem ignorabant invencibilitèr, salvari poterant, vel ipsa Circumcisione, ut erat protestatio fidei, sicùt jam dictum est, vel remedio Legis naturæ. Idque admittere coguntur Adversarii, etiàm post solemnem Legis promulgationem factam die Pentecostes: cùm tùnc adhùc multi etiam intra fines Judææ, a fortiori inter Gentes, Legem hanc Baptismi invincibilitèr ignorarent. Undè textus Concilii intelligi non debet de promulgatione facta die Pentecostes, sed de promulgatione postmodùm ubiquè facta per Apostolos, quorum sonus exivit in omnem terram.

ARTICULUS III.

De Materia Baptismi.

IN Sacramentis, quæ consistunt in usu rei sensibilis, duplex distinguitur materia, scilicèt, & remota proxima. Remota est ipsa res sensibilis; proxima est ipsius rei usus, & aplicatio, sic in Baptismo aquam dicimus materiam remotam; aplicationem aquæ ad corpus, seu ablutionem, materiam proximam. De utraque per distinctos parrafos agemus.

§. I. *Utrùm aqua sit materia remota Baptismi?*

MIssis Gnosticis, Archonticis, & aliis ejusdem furfuris Hæreticis, qui negaverunt Sacramenta sensibilia, fuerunt alii plures, qui rejecerunt specialitèr Baptismum in aqua 1. Manichæi, rati aquam esse a malo principio, Baptismum in ea collatum noxium dixerunt: Aug. Hæresi 46. Similitèr Seleuciani, & Hermiani: idem Hæresi 59. 2. Pauliciani dicebant, baptismum sola prolatione horum verborum, *Ego sum aqua viva*, perfici. Euthymius in 2. parte Panopliæ tit. 21. 3. Lutherus in Symposiacis, id est, canvivalibus colloquiis c. 7. dubitavit, an non Baptismus in vino collatus valeret. Lutheri dubium solvit Beza, docens Baptismum in quovis liquore collatum, urgente necessitate, & absente aqua, esse validum. Pro asserendo Catholico Dogmate.

Dico 1. (*Hic q. 66. art. 3. & 4. o.*) Omnis & sola aqua vera & elementaris est materia remota Baptismi. Prob. 1. ex Scripturis. Juxtà S Patres, sequentia veteris Test. loca de Baptismate figurativè & propheticè sunt intelligenda. Ps. 28. *Vox Domini supra aquas... Dominus super aquas multas.* Cant. 4. *Greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ex novo Testam. sunt aperta testimonia. Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes*, &c. Ephes. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Act. 8. de Eunucho Candacis Reginæ: *Venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me Baptizari?* Act. 10. *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt sicùt & nos?*

Prob. 2. ex patribus. Justinus Apol. 2. de iis, qui ad Religionem nostram disponuntur, dicit: *Deindè eò adducuntur a nobis, ubi est aqua... Nàm in nomine cunctarum rerum Parentis & Domini Dei, & Servatoris nostri Jesu-Christi, & Spiritûs S. in aqua tùm lavantur.* Tertul. l. de Bapt. quem his verbis inchoat: *Felix Sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.* Aug. Tract. 15. in Joann. *Quid*

Quid est Baptismus? lavacrum aqua in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus: Tolle verbum, non et Baptismus. Innumeros omitto in re aperta.

Prob. 3. ex definitionibus Ecclesiæ. Greg. IX. apùd Raynaldum ad ann. 1241. de his, qui in Norvegia baptizabantur cerevisia, rescribit ad Archiepiscopum Nidrosiensem: *Cum, secundum doctrinam Evangelicam, oportet ex aqua & Spiritu S. renasci, non debent reputari ritè baptizati, qui cerevisia baptizantur.* Con. Florent. in Decreto unionis: *Materia*, inquit, *hujus Sacramenti est aqua vera, & naturalis.* Trid. sess. 7. can. 2. *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideò verba illa Domini Jesu-Christi*, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Ratio a priori (*Ibid. art. 3.*) nulla est nisi voluntas Christi instituentis. At variæ sunt congruentiæ. Prima (*Ibid.*) convenientia petitur ex ipsius Baptismi ratione, qui est regeneratio spiritualis; quod maximè congruit aquæ. Undè & semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicèt, plantæ & animalia, humida sunt, & aquam participant; propter quod Thales Milesius posuit aquam omnium rerum principium. Secunda (*Ibid.*) convenientia sumitur ex effectibus Baptismi, quibus aquæ proprietates conveniunt. 1. Aqua sua humiditate lavat; ex quo conveniens est, ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum, quæ est effectus Baptismi. 2. Sua frigiditate temperat superfluitatem caloris; & ex hoc competit, ad mitigandam concupiscentiam fomitis, quod est alter Baptismi effectus. 3. Sua diaphanitate est luminis susceptiva; undè convenit Baptismo, non quia Baptismus activè illuminat; sed quia est Sacramentum fidei, per quam illuminatur. (*Ibid.*) Tertia convenientia est ad significandum Mysteria, quæ in Baptismo celebrantur, & quibus justificamur: ut enim dicit Apost. Rom. 6. & Coloss. 2. *Consepelimur Christo in Baptismo, in quo & resurreximus.* Hæc autèm significatio congruentèr fieri non posset per terram propter suam densitatem, neque per aërem propter suam raritatem, nec per ignem quia nos combureret: fit ergo commodissimè per aquam Baptismi, *in qua veluti in sepulchro submergentibus nobis capita vetus homo sepelitur, & submersus deorsùm occultatur; & deindè rursus novus ascendit.* Ità Chrysostomus super illud Joann. *Nisi quis renatus.* Quarta convenientia aquæ in Baptismo (*Ibid.*) est ratio suæ communitatis, & abundantiæ. Cùm enim Baptismus sit generale Sacramentum universis necessarium, debuit ejus materia esse in promptu, ut absquè ullo dispendio temporis, loci, aut pretii, applicatu esset facillima.

Dixi: (*Ib. art. 4.*) *Omnis & sola aqua vera, & elementaris.* Potest autèm aqua amittere suam veritatem & simplicitatem dupliciter: 1. Per mistionem alterius corporis, ut cùm pulvis misceretur aquæ, & magis abundat quàm aqua, fit lutum. 2. Per alterationem, ut cùm aqua convertitur in liquorem uvæ. Et hoc utrumque fieri potest, sive per naturam, sive per artem. Igitur in qualibet aqua, qualitercumquè transmutata, modò non solvatur species aquæ, potest fieri Baptismus, si verò solvatur species aquæ, non potest fieri Baptismus. Intelligimus autèm naturam & speciem aquæ magis secundùm communem hominum usum & æstiamtionem, quàm secundum rationes physicas: sicùt v. gr. quamvis fortè farina ex aqua subacta, vulgò *pate*, specie physica non differat a pane; quia tamèn secundùm communem hominum usum & æstimationem non est panis, non potest esse materia Eucharistiæ. Similitèr de aqua respectu Baptismi; quia, sicùt Christus instituit panem usualem pro materia Eucharistiæ, sic instituit panem usualem pro materia Baptismi.

Hinc colliges 1. (*Ibid. ad 1. 2. & 4.*) Baptismum validè fieri posse in aqua salsa maris, in pluviali, fontana, fluviali, minerali; sive turbida sit, sive clara sive frigida, sive calida, sive benedicta, sive non. Itèm in lixiviò, in aqua decoctionis carnium, piscium, herbarum, modo non sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, quòd liquor plus habeat de aliena substantia, quàm de aqua, quod ex spissitudine perspici potest. Itèm in aqua ex grandine, nive, glacie, antè ablutionem resoluta. Itèm in sudore pavimenti vel parietum, tempore pluvioso; similitèr in aqua expressa ex luto: quia in his omnibus salvatur natura & species aquæ, ità ut verum sit de illis dicere juxtà communem hominum usum & æstimationem: est aqua naturalis. Colliges 2 (*Ibid ad 5.*) è contrà invalidum esse Baptismum collatum in luto, vino, cerevisa pingui, lacte, oleo, saliva, sudore, lacrymis, urina, glacie, nive, grandine nondùm resolutis; neque, quidquid dicant aliqui, in aqua rosacea, aut alia ex arboribus, herbis, aut floribus distillata; quia illa omnia non reputantur aqua naturalis & usualis, sive interim ab illa specie physica differant, sive non aliqui dubitant de tenui cerevisia, ptisana, the, & similibus decoctionibus herbarum; quia, inquiunt, juxta hominum æstimationem videntur potus ab aqua specie distinctus: undè, qui tenentur jejunare in pane & aqua, non possunt uti illis potibus. Attamèn eadem videtur ratio de his, ac de aqua levis decoctionis carnium, quam Auctor agnoscit sufficientem. Et quamvis censentur potus ab aqua distinctus respectivè ad jejunium, in quo intenditur mortificatio; non tamen censentur aqua specie distincta à naturali respectivè ad ablutionem, quæ intenditur in Sacramento.

Majus dubium est de aqua ex sale resoluta: quia ex una parte non videtur aqua naturalis & usualis; ex altera videtur, quòd sit idem, ac de aqua ex grandine vel glacie; hæc enim est aqua frigore condensata, illa est aqua solis ardore condensata. Cæterùm in praxi, nunquàm extrà casum necessitatis est adhibenda aqua dubia, ubi certa haberi potest: in casu vero necessitatis licitè adhiberi potèst omne id, de quo prudentèr dici potest: fortè est aqua: quia tùnc necessitas extrema salutis & conditio apposita abstergunt injuriam Sacramenti; & satius est exponere Sacramentum nullitati, quàm hominem æternæ damnationi; Sacramenta enim sunt proptèr homines. Confer Tract. de Sacram. in genere Diss. 1. art. 6. §. 2.

Dico 2. (*Ibid. art. 3. ad 5.*) Aqua Baptismo, sive privato sive solemni, adhibenda, debet necessariò (non necessitate Sacramenti, sed præcepti) esse consecrata, seu sacro Chrismate delibuta, & benedicta illo anno, Sabbato santo, aut vigilia Pentecostes, si haberi potèst. Hanc Ecclesiæ praxim & legem, utendi aqua benedicta & consecrata Baptismo, ex Apostolorum tradictione descendere colligitur ex eo, quòd illius initium non invenitur. Hujus meminerunt Auctor Constit. Apost. l. 7. & 8. S. Basilius libr. de Spiritu S. c. 27. S. Cyprian. Epist. 70. ad Januarium, S. Ambros. l. 1. de Sacram. c. 5. Aug. Hom. 27. & 50. & alii. Itèm Euchologium, quo a mille annis & ampliùs usi sunt Græci. Idem probant antiqua Baptisteria, non alia ratione constructa, quàm ut aqua, solemni ritu consecrata & benedicta decentiùs servaretur. Baptisterii constructi à S. Pio I. electo Pontifice ann. 142. alterius constructi à Constantino in Later. Basilica meminit Anastasius Bibliotecarius Tom. 1. Baptisteriorum, quæ Hæretici incenderunt, meminit S. Athanas. Epist. Encyclica ad Episcopos. Undè mirum est, hanc antiquam utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ legem & consuetudinem a nostratibus Hæreticis sugillari. Hoc est dumtaxàt discrimen inter Græcos & Latinos, quòd Latini bis tantùm in anno aquam consecrent. Græci vero quotiès ministrandus est Baptismus.

Dixi: *Baptismo, sive privato, sive solemni.* Quidam negant de Baptismo privato: attamèn, quamvis solemnitas specialitèr requirat aquam consecratam, & indè augeatur obligatio talem adhibendi, id etiam videtur exigere natura Sacramenti. Etenim tàm in privato, quàm in solemni Baptismo res sancta peragitur, & assumitur aqua, non ad quemcumque usum, sed ad ablutionem spiritualem. Insuper, ut dicit Auctor loco cit. per aquæ beneditionem impeditur astutia dæmonis, ne impediat effectum Baptismi, quod etiam convenit Baptismo privato sicùt solemni. His autèm de causis Lex posita est.

An gravis, vel levis sit obligatio præfatam aquam adhibendi in Baptismo, disputatur. Nobis videtur gravis, saltèm pro Baptismo solemni: idque satis indicat tùm Ecclesiæ solemnitas in consecrando, tùm cura in asservando. Pro praxi nota verba sequentia Rit. Rom. Si aqua benedicta tàm imminuta sit, ut minùs sufficere videtur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamèn quantitate: si verò corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem benè mundum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infrà præscribitur: sed, si conglaciata sit, curetur, ut liquefiat; sin autèm ex parte congelata sit, aut nimiùm frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere & admiscere aquæ Baptismali in vasculo ad id parato, & ea tepefacta ad Baptismum uti, ne noceat infantulo.

Solvuntur objectiones contra 1. Conclusionem.

OBj. 1. Hæc Christi verba Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. &c.* in quibus maximè vim facimus, non sunt intelligenda literalitèr de vera aqua, sed metaphoricè de ipso Spiritu S. ità ut copula *Et* non sumatur copulativè, sed explicativè significans *id est*, perindè ac si dixisset *Spiritu aquæ*, seu in Spiritu mundante instar aquæ non enim inusitatum est Scripturam per duo unum exprimere: ut Act. 17. *Vita & inspiratio* idem est ac *inspiratio vitæ*: Coloss. 2. *Per philosophiam, & inanem fallaciam*, idem est ac *per inanes fallacias Philosophiæ*: Ergo. Ità Calvinistæ. R. 1. Nos non in hoc uno Scripturæ testimonio fundari, sed in pluribus aliis apertissimis, quæ sensum metaphoricum non admittunt, presertim Act 8. & 10. Itèm in Traditione, definitionibus, & praxi totius Ecclesiæ ab incunabulis. Undè, tametsi hæc Calvinistarum interpretatio, quæ falsissima est, foret legitima, nihil obtineret argumentum contra nostram Conclusionem. R. 2. N. Assumptum. Hìc enim duo omninò disparata exprimuntur; unum exterius, sci-

scilicèt, elementum aquæ; aliùd interiùs, nimirùm gratia Spiritûs S. nec est vel unus Patrum in tota retrò antiquitate, qui aliter intelexerit. Reservatum erat hesternis Hæreticis sensum metaphoricum illis verbis affingere. Non negamus, aliquandò Scripturam per duo unum exprimere; at insanum foret dicere aut credere, hunc esse ejus constantem in omnibus usum. Nisi fortè velis cum Sabelianis, ut intrà subjectam materiam hæreamus, his nominibus *Patris*, *& Filii*, *& Spiritûs S.* unam & eamdem personam exprimi. Ut ergo legitimus verborum Christi sensus cognoscatur, & àn particula *Et* copulativè, vel explicativè significet, perpendendæ sunt circunstantiæ loci & temporis, subjecta materia, alia Scripturæ testimonia affinia, sensus Patrum & Ecclesiæ praxis. Porrò in nostro casu ex circumstantiis loci & temporis, ex subjecta materia, ex collatis aliis Scripturæ locis colligitur, hic aquam poni pro elemento naturali, & ut quid distinctum à Spiritu. Volebat enim Christus instruere Nicodemum de regeneratione spirituali mediante Sacramento sensibili in aqua: undè statim pòst istud colloquium, quasi explicaturus & confirmaturus, quæ dixerat Nicodemo, legitur ibidem baptizasse cum Discipulis, utiquè Baptismo aquæ; quia, ut subditur ibidem, indè commoti sunt Joannis discipuli, quòd ejus Baptismum Christus usurparet; idque apertè confirmant alia Scripturæ testimonia in probationibus laudata. Idem colligitur ex traditione & perpetua praxi Ecclesiæ, qua nullus est certior Scripturæ Interpres. Imò nec nocent exempla allata: etenim inspiratio vitæ est vita in inspiratione sensibili collata: fallacia inanis Philosophiæ est latens in arguitionibus Philosophorum deceptio: ergo Spiritus aqueus, si ità loqui liceat, est Spiritus vi occulta operans in aquis.

Inst. 1. Christus ibi exprobrat Nicodemo, quòd, quæ dixerat, ignoraret: *Tu es Magister in Israel*, *& hæc ignoras?* atqui, si de vera aqua locutus fuisset, non erat ratio, cur Nicodemo ejus hac in re ignorantiam exprobraret: quomodò enim scire potuisset Nicodemus veram aquam esse necessariam ad renascendum? Ergo. R. 1. Juxtà Aug. Tract. 12. in Joann. Christum hæc non dixisse exprobrando, sed docendo, & Nicodemi superbiam sanando. 2. N. Min. Manifestum est enim ex textu Scripturæ, quòd Christus loquebatur de regeneratione spirituali in aqua per Spiritum S. quamvis Nicodemus intelligeret de iterata nativitate carnali. Cùm autèm Nicodemus esset legis Doctor, & Scripturas doceret: meritò exprobrat illi Christus, quòd ignoraret Deum posse regenerare spiritualitèr homines per aquam, aut per aliquid aliud sensibile, cùm id pluriès testetur Scriptura. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam*, *& mundamini*, &c. Ps. 50. *Asperges me hysopo*, *& mundabor: lavabis me*, *& super nivem de albabor.* Item Ps. 103. Zachar. 13. & Insupèr Judæi proselytum, qui ad eorum Religionem convertebatur, baptizabant, & eo Baptismo, junctis variis aliis purificationibus, quasi novum hominem reputabant: ipsimet Pharisæi quotidianis suis purificationibus & Baptismis se purificabant: ad hæc si attendisset Nicodemus, facilè intellexisset, præsertim Christo explicante, Deum posse, quo voluerit modo, etiam per aquam regenerare hominem spiritualitèr; ideòque meritò illi fuit exprobratum, quòd, cum esset Magister in Israel, hæc ignoraret, & tamquàm extranea atque absurda reputaret.

Inst. 2. In his Christi verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Spiritus non intelligitur materia Baptismi: ergo nec aqua. R. insulsam prorsùs hanc esse ratiocinationem. Ecquis nisi mente captus cogitabit unquàm, Spiritum S. posse esse materiam alicujus Sacramenti? Itaquè secundùm subjectam materiam per Spiritum S intelligitur causa efficiens, & quasi Pater regenerationis; per aquam intelligitur quasi mater seu materia Sacramenti regenerationis. Ità SS. Patres.

Inst. 3. Quandò Joann. Bapt. Matth. 3. dixit: *Qui post me venturus est, fortior me est.. ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni*, per ignem non intelligitur litteralitèr ignis elementaris, sed metaphoricè Spiritus S. qui instar ignis corda charitate inflammat, & peccata destruit: ergo similitèr de aqua, Joann. 3.

N. Cons. Nemo enim unquàm, exceptis Hermianis & Seleucianis, & fortè quibusdam aliis ejusdem furfuris Hæreticis, somniavit ignem esse Baptismo adhibendum: cum è contrà constet, & Christum & Apostolos, & omnem quà latè patet Ecclesiam sempèr adhibuisse aquam. Ex qua praxi tamquàm ex regula certissima dicimus, verba Joann. 3. intelligenda esse de aqua naturali, & verba Matth. 3. de igne, metaphoricè sumpto pro gratia & donis Spiritûs S. Sunt quidam SS. Patres, qui illa verba Matth. 3. intelligunt litteralitèr de linguis ignis, quæ apparuerunt suprà capita Apostolorum die Pentecostes.

Inst. 4. Ipse S. Joann. Bapt. loco cit. Matth. distinguit suum Babtisma a Baptismate Christi in hoc, quòd sunm sit in aqua, Baptisma autèm Christi in Spiritu S. ergo. R. D. Ant. Distinguit in hoc, quòd suum Baptisma sit in aqua simplicitèr, N. in hoc, quòd sit in aqua tantùm sine collatione gratiæ Spiritûs S. quam conferebat Baptisma Christi, C. Quasi diceret: ego baptizo vos aqua tantùm, & corpora solùm lavo, indè indicans vobis pœnitentiam, & ad eam vos exhortans; sed qui pòst me venit, non solùm corpora, ut ego, aqua, verùm etiam animos vestros effuso Spiritu S. purgabit, divinoque illo igne inflamabit. Undè discrimen inter hæc duo Baptismata non est ex parte materiæ, in utroque enim est aqua, sed ex parte virtutis, & effectûs.

Obj. 2. Stephanus Papa, creatus ann. 751. dùm in Galliis versaretur, & apùd Carisiacum cum Pippino Rege moraretur, ad varia capita, de quibus interrogatus fuerat, 19. responsa dedit Monasterio Britanico (*de Bretigny*) quorum undecimum sic legitur Thom. 6. Conc. Labb. column. 1652. *Si in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, omninò periclitantem infantem baptizavit, nulla indè ei adscribitur culpa* (*infantes sic permaneant in Baptismo*); *nàm, si aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur & Pœnitentiæ submittatur; quia contrà Canonum sententiam agere præsumpsit*: ergo. R. hoc Rescriptum esse spurium, vel adulteratum. 1. Inverisimile est, summum Pontificem ignorasse, quæ neminem vel levitèr Theologum latere possunt. 2. Nulla Canonum Collectio, nullus Scriptor hujus responsi meminit. 3. Cùm interrogatio esset de uno infante, dicitur in responso in plurali numero, *Infantes sic permaneant in Baptismo.* Undè nota marginalis in Collec. Labb. dicit: *Quod ansulis clausimus, glossema est, aut è margine in textum a Librario temerè intrusum, aut ex proximis Canonibus per incuriam translatum.* Natalis Alex. sæc. 8. c. 1. art. 6. sic restituit textum. *Nulla ei adscribatur culpa, si infantes permaneant in Baptismo.* Simile, aut fortè idem responsum duo codices, a Tournelyo laudati, tribuunt Siricio Papæ circà finem IV. sæculi, conceptum his verbis: *Presbyter, qui in vino baptizat pro maxima necessitate, ut æger non periclietur, pro tali re nulla ei culpa adscribatur: Infans verò ille, si in SS. Trinitate baptizatum, est in eo Baptismo permaneat.* Si sit idem responsum, ut probabile est ipsa contradictio attributionum, & diversitas narrationum manifestè evincunt suppositionem. Si sit aliud simile, R. ut antè; cùm neque in ulla Collectione Canonum, neque in Archivis Romanis inveniantur, neque hæc opinio unquàm in Ecclesia Romana obtinuerit, aut de illa etiam tempore Siriccii auditum fuerit, jure asserimus esse aut supositititium, aut interpolatum. Adde, hæc non esse definitiones ex Cathedra toti Ecclesiæ propositas tamquàm de fide tenendas, sed rescripta privata ad quosdam particulares.

Obj. 3. Joannes Moschus circà initium 7. sæculi, in Prato spirituali c. 176. narrat, quedamm Judæum, morbo periculoso correptum, in deserto baptizatum fuisse ab itineris comitibus arenatèr supèr ipsum projecta, & subitò virtute hujus Baptismi convaluisse, quod indicat ejus validitatem. Idem aut simile factum narrat Nicephorus l. 3 c. 37. Ergo. R. N. Cons. Ex utraque enim narratione oppositum concluditur. Refert Moschus, hunc Judæum ob ferventissimum Baptismi desiderium sanitati fuisse redditum, sed cum pervenisseet Ascalonem, *visum est B. Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Jordanem, ibiquè baptizari.* Nicephorus paritèr, *Postquàm*, inquit, *domum sunt reversi, rem ad Dionysium Alexandriæ Episcopum retulerunt. Ille verò admiratione stupens, Ecclesiam consulit; cui visum est, aqua insupèr ad eum modum initiatum juxtà Ecclesiæ traditionem abluendum esse.*

Obj. 4. In Baptismo significatur ablutio; atqui multa alia sunt ablutiva, quàm aqua, ut vinum, oleum, & hujusmodi alia: ergo non sola aqua est matèria Baptismi. R. N. Conseq. 1. (*Ibid. art.* 3. *ad* 2.) Vinum & oleum non comuniter assumuntur ad usum ablutionis, sicùt aqua. 2. Non ità perfectè abluunt, quia ex eorum ablutione remanet aliqua infectio, saltèm quantùm ad odorem; quod non contingit de aqua. 3. Illa etiam non ità communitèr & abundantèr habentur, sicùt aqua 4. Finalitèr & presertim, aquam elegit Christus, & non alios liquores. Cætera argumenta vide in Auctore.

§. II. *De Materia proxima Baptismi.*

CErtum est materiam proximam Baptismi esse applicationem materiæ remotæ, scilicèt aquæ, seu ablutionem corporalem: sed quæstio est 1. quomodò fieri debeat ista ablutio, àn per immersionem, àn per effusionem, aut aspersionem? 2. Utrùm trina sive immersio, sive effusio, sive aspersio sit de necessitate Sacramenti? Suppono 1. duodecim primis Ecclesiæ sæculis Baptisma communiùs administratum fuisse per immersionem. Id constat pro Ecclesia Græca ex S. Just. in Apol. 2. ex S. Basilio de Spiritu S. c. 27. ex Euchologio Græcorum edito a Goartio, & aliis. Pro Ecclesia Latina ex Tertul. de corona militis, ex S. Ambros. l. 2. de Sacram. c. 6. Hieron. advers. Lucif. ex S. Greg. l. 1. Ep. 43. aliàs 41 ex his, qui de divinis officiis scripserunt, Alcuino, Amalario, Walafrido, & pluribus aliis: tandèm ex D. Thom. qui hic art. 7. dicit, tutius esse baptizare per immersionem, quia hoc habet *usus communior:* obiit autèm S. D. ann. 1274. Sed, quamvis immersio communiùs adhiberetur in Baptismo, aliquandò tamèn adhibita fuit effusio, vel aspersio, ut mòx dicam, & patet ex modo loquendi D. Thom. Suppono paritèr, communiùs olim, sicùt & nùnc, adhibitam fuisse trinam, vel immersionem, vel effusionem, vel aspersionem. Constat ex Auctoribus laudatis pro immersione, qui plerumquè etiam exprimunt trinam immersionem. Undè Auctor hic art. 8. o. dicit, quòd, qui trinam immersionem non servaret, *peccaret gravitèr... quasi ritum Ecclesiæ non observans.* Iste tamèn ritus sæculo 6. mutatus, & interruptus fuit apud Hispanos, ut mòx dicemus. His suppositis

Dico 1. (*Ib. art.* 7. *o.*) Validum est Baptisma, collatum sive per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem. Est contra Græcos, qui post Synodum Florentinam, Auctore Marco Ephesino, inter alias separationis suæ causas prætexerunt, quòd Eclesia Romana deserendo Baptismum per immersionem a vera fide defecisset. Prob. 1. auctoritate, exemplis. 1. Ex prænuntiata Baptismi institutione, Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam.* (*Ibid.*) 2. Verisimile est, Apostolos, qui una die quinque hominum millia baptizarunt, effusionem aut aspersionem adhibuisse. 3. S. Cyprianus, Concilium Antissidiorense ann. 578. Can. 18. Matisconense II. ann. 585. Can. 3. & alia probaverunt Baptismum per effusionem collatum Clinicis, id est, decumbentibus in lecto. 4. Cùm propter aliam necessitatem, puta, propter persecutionem, aut opportunam, & inopinatam occasionem, in privatis domibus Baptismus conferebatur, indubiè effusio, aut aspersio usurpabatur. Et ità Paulus in carcere detentus Act. 16. dubio procùl *custodem carceris cum omni domo sua baptizavit.* Legitur in vita S. Laurentii, ipsum baptizasse Romanum militem aqua ex urno effusa. Acta S. Gratiliani, Bacchi junioris, & S. Liudgeri, edita a P. Marteue, referunt Baptismum per effusionem collatum: ergo.

Prob. ratione (*Ibid.*) Aqua assumitur in Baptismo ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum, ità ut ablutio quidèm sit essentialis Baptismo, non modus ablutionis; atqui ablutio per aquam potest fieri non solùm immersione, sed etiam effusione, & aspersione: ergo. A sæculo autèm 13. usus baptizandi per effusionem fermè ubiquè invaluit, saltèm apùd Latinos: & ità præscribunt varia Ritualia Leodiense, Rhemense, Cameracense, Mechliniense, Atrebatense, Iprense, & alia non pauca: (*Ibid.*) idque admodùm convenientèr propter varias rationes. 1. quia quandoquè est magna multitudo baptizandorum, ut Act. 2. & 4. 2. aliquandò non est sufficiens aqua ad immersionem. 3. propter debilitatem Ministri, qui non potest sustentare baptizandum. 4. propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione. His adde propter decentiam, nimirùm ut consulatur pudori mulierum, & occurratur periculo Ministrorum.

Dixi in hac observatione: *fermè ubiquè*; quia ritus immersionis non omninò eliminatus est ab Ecclesia Latina. Patet ex Rituali Romano Pauli V. ubi Tit. de forma Bapt. sic legitur: *Baptismus licèt fieri possit, aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamèn, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.* Patet ità ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis, in qua servatur ritus immersionis, & ex Synodo Beneventana ann. 1693. sub Cardinali Ursini, posteà Benedicto XIII. qui propria manu parvulos in Baptisterio mergebat. Dixi ità. *apud Latinos*; quia, licèt Græci contra nos insurgant, quòd per infusionem baptizemus, ut dictum est, ipsi tamèn infusionem non separant ab immersione, ità ut super baptizandi, a parte inferiori immersi, caput aquam infundant, ut patet ex responso Gregorii Protosyncelli ad Marcum Ephesinum, & ex Neophyto Rhodino in sua vernacula Synopsi apud Goartium, in suis ad Euchologium Græcorum notis Undè, & ipsi ab antiquo immersionis ritu etiam recesserunt; antiquitùs enim totum corpus mergebatur, ut dicam infrà.

Cùm autèm dicimus, Baptismum posse fieri per aspersionem, non intelligimus aspersionem qualis fit in Ecclesiis, dùm populus aspergitur aqua benedicta; qua plures sæpè non tanguntur, nisi fortè in vestibus; sed quæ singulis adhibeatur, uni per unum, alteri per alterum. Ità appositè observat doctiss. Sylvius.

Dices 1. Cornelius Papa cum Synodo Romana dubitavit de Baptismo, per infusionem collato Novatiano in lecto decumbenti: sic enim de eo scribit ad Fabianum Antiochenum apud Euseb. l. 6 Hist. c. 43. *In ipso, in quo jacebat, lectulo profusus Baptismum suscepit si tamèn hujusmodi Baptismum suscepisse dicendus est* Deindè invehit in ejus ordinationem, *eò quòd non liceret quemcumque ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo, perindè ac ille, perfusi fuissent, in Clerum assumi.* Similiter Magnus cum quibusdam aliis apud Cyprianum Ep. 76. dubitat, *an Clerici habendi sint legitimi Christiani, quia aqua salutari non sunt loti, sed perfusi.* R. ad 1. Cornelium cum Synodo non dubitasse de validitate Baptismi Novatiani, alioquin propositum fuisset, àn esset rebaptizandus, quod nusquàm factum est; sed dubitavit de effectu Sacramenti, quia Novatianus nulla fide, nulla intentione recta baptizatus fuerat, neque susceptis posteà, ut moris erat, Sacramentis Confirmationis, & Eucharistiæ. His ergo de causis Cornelius carpit Baptismum Novatiani. Et quia sic baptizati in infirmitate non tàm proprio motu, quàm metu mortis initiabantur, & insufficientèr instructi mysteria fidei tradere, & exponere, atque cætera Sacerdotii officia implere non posse videbantur, ideò irregulares censebantur, & ordinari prohibebantur: quibus de causis paritèr improbat Cornelius Novatiani ordinationem. Hæc constant ex laudata Ep. Cornelii ad Fabianum. Ad 2. Incertum est, de quo dubitaverit Magnus, àn de valore, àn de effectu Baptismi per infusionem collati. Sed quidquid sit, ejus dubium expunxit Cyprianus, non solùm respondendo, sed etiam probando hujusmodi Baptismum valere.

Inst. Cyprianus permittit cuique de hac re sentire quid vellet, & permittit iis, qui judicant nullum hunc Baptismum, sic baptizatos rebaptizare: ergo. R. Modestiæ Cypriani tribuendum esse, quòd rem, nondùm solemni Ecclesiæ judicio eliquatam, uniuscujusque judicio permiserit; consequentèr quòd dixerit eos, qui judicant talem Baptismum esse nullum, debere rebaptizare; qui enim judicat aliquem Baptismum esse nullum, si sibi constare velit, deberet iterare.

Dices 2. In Baptismo consepelimur Christo; atqui sepultura non potest significari, nisi per immersionem: ergo. R. N. Min. (*Ibid.*) Equidèm per immersionem expressiùs repræsentatur sepultura Christi; sed in aliis modis etiam repræsentatur, etsi non ità expressè. Nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ supponitur; sicùt corpus Christi fuit sub terra positum.

Dico 2. (*Ibid. art.* 8. *o.*) Trina sive immersio, sive infusio, sive aspersio, non est de necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm. Prob. (*Ibid. in a. s. c.*) Cùm in Hispania Ariani Trinitatem dividerent, tresque naturas distinctas assererent, & ideò trina immersione baptizarent, itèm & Donatistæ Baptismum a Catholicis collatum iterarent; nonnulli Hispaniarum Episcopi in detestationem utriusque erroris unicam immersionem contra antiquum morem decreverunt: qua de re cum esset mota quæstio, Leander Episcopus Hispalensis consultavit S. Gregorium, qui l. 1. Ep. 43. aliàs 41. sic respondet *De trina mersione Baptismatis nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis: quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa.... Reprehensibile esse nullatenùs potest infantem in baptismate, vel tèr, & semèl immergere, quandò, & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari.*

Hoc S. Gregorii Responsum suum fecit Conc. Toletanum IV. ann. 633. cap. 6. ubi, postquàm laudata verba Greg. retulit, hæc addit: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel Hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem.* Similiter Conc. Wormatiense ann. 868. can. 5. Itaquè infundatè prorsùs Alcuinus Ep. 70. negat, hanc Epistolam esse S. Gregorii, cum ab utroque Concilio exscribatur. Itèm eam ut S. Gregorii laudant S. Isidorus Leandri frater in Catalogo Vicor. illustr. S. Idelphonsus Tolet. Episc. in suo Catalogo, & Joannes Diaconus in vita S. Gregorii.

Prob. 2. (*Ibid.*) Ad Baptismum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate Baptismi; modus autèm ablutionis per immersionem, vel infusionem, ut dictum est conclusione præcedenti, per accidens se habet ad Sacramentum: ergo a fortiori quòd tèr, vel semèl fiat. Conf. ex ratione S. Gregorii. (*Ibid.*) Sicùt per trinam immersionem significatur triduum sepulturæ Christi, Trinitas Personarum, ità pet unam significatur unitas mortis Christi, & unitas Deitatis. Non est autèm de necessitate Sacramenti, quòd significet triduum sepulturæ Christi; non enim ad hujus triduì significationem fuit institutum, sed in signum gratiæ: equidèm, juxta Apostolum Rom. 6. per Baptismum sepelimur Christo; at id significatur per simplam immersionem, sicùt resurrectio per emersionem. Quantùm verò ad Trinitatem Personarum in unitate substantiæ significatur per formam; cum enim dicitur *in nomine*, significatur unitas Deitatis: cum dicitur *Patris*, *& Filii*, *& Spiritûs S.* significatur Trinitas Personarum. (*Ibid. ad* 1.) Nequè est necesse, quod in usu materiæ hæc significatio habeatur; quia, cùm Trinitas sit agens principale in Baptismo, similitudo autèm agentis perveniat ad effectum secundùm formam, & non secundum materiam, ideò significatio Trinitatis convenientèr fit per verba formæ, nec requiritur significatio per usum materiæ, nisi ad majorem expressionem, quæ non est necessaria Sacramento.

Quia tamèn (*Ibid. o.*) cessante causa unius immersionis, ite-

iterùm antiquus usus invaluit, & nùnc communitèr usurpatur trina immersio vel infusio, peccaret gravitèr alitèr baptizans, utpotè ritum Ecclesiæ non observans in re gravi. Et est 2. pars conclusionis.

Dices: Trina immersio est ex præcepto Christi; atqui quod est a Christo præceptum in hac materia, est indubiè de necessitate Sacramenti: ergo. Prob. Ant. Pelagius II. qui obiit ann. 590. in Rescripto ad Gaudentium Episcopum dicit: *Evangelicum præceptum, ipso Domino Deo Salvatore nostro Jesu-Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina immersione sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Refertur de consecr. d. 4. cap. *multi* 182. Similitèr Tertull. Hieron. Bas. &c. dicunt, hunc ritum trinæ immersionis originem ducere ex mandato Christi: ergo. R. (*Ibid.*) in tòta Scriptura nullibi extare præceptum Christi de una, vel trina immersione. Itaquè laudati Patres intelligunt mandatum Christi de trina immersione in suo simili, in hoc scilicèt quòd Christus præcepit baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Undè volunt solùm, quòd Evangelicum præceptum in illud cadat, quòd Baptismus fiat in nomine Trinitatis; quod autèm subdunt de trina immersione, congruentia est dumtaxàt, quæ ex dicto præcepto colligitur. Patet ex ipso Pelagio, qui post verba laudata immediatè subjungit: *Dicente Domino Discipulis suis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* non dicit ampliùs, *& in trina immersione.* Itèm in eodem Rescripto disertè pronuntiant: *Sin verò apud dilectionem tuam eorum, qui converti volunt, manifesta confessione claruerit, quòd in nomine Trinitatis fuerint baptizati, sola reconciliationis impensa gratia, catholicæ sociare fidei maturabis.* Ubi iterùm solam invocationem Trinitatis, non trinam immersionem requirit. Refertur ibid. de Cons. d. 4. cap. *Si revera* 30.

Inst. Saltèm ritus trinæ immersionis est ex Apostolica traditione. Undè Can. 49. eorum, qui dicuntur Apostolici, deponitur, qui alitèr quàm per trinam immersionem baptizaverit: & Conc. Constantinop. I. Can. 7. jubet, rebaptizari Eunomianos, quia non servabant trinam immersionem; atqui Traditiones Apostolicæ sunt necessariò servandæ: ergo. R. 1. Hoc argumentum, si quid probet, probare ad summum trinam immersionem esse de necessitate præcepti, non Sacramenti; non enim Apostoli instituerant Sacramenta. 2. D. Min. Traditiones Apostolicæ circa fidem, & mores sunt necessariò servandæ, C. circa disciplinam N. Multa enim circa disciplinam statuerunt Apostoli, quæ ampliùs non servantur, ut de abstinentia a sanguine, & suffocato, de Ebrioso, Bigamo, Neophyto non promovendo ad Ordinem, non flectere genua in orationibus a Paschate ad Pentecosten, & plura alia. Semèl autèm vel tèr mergere pertinet ad disciplinam, ut patet ex diverso Ecclesiæ usu in diversis occasionibus, & temporibus. Ad Canon. Apost. etiam, qui solùm violat Ecclesiæ disciplinam, potest jure plecti pœna depositionis. Sed neque iste Canon, neque Conc. Constantinop. agunt de illis, qui solùm trinam immersionem omittebant, sed etiam qui formam violabant, non baptizantes in nomine Trinitatis, sed in morte Christi. Patet ex ipso textu Canonis, ubi subditur: *Non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate; sed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Similitèr Eunomiani, qui erant Ariani, in odium Trinitatis baptizabant in morte Christi, & in una immersione.

§. III. *Variæ Quæstiunculæ circa utramque Baptismi materiam brevitèr resoluuntur.*

PEtes 1. Quæ quantitas aquæ requiratur ad validitatem Baptismi? R. eam requiri aquæ quantitatem, qua quis possit dici moralitèr ablutus; quia aqua requiritur ad ablutionem. Hinc quidam volunt, non sufficere unam vel alteram guttam. Alii dicunt, sufficere, modò tamèn fluat; quia corpus, saltèm ea parte, quam illa gutta fluendo tangit, dicitur ablutum. Id quidèm mihi videtur probabile; sed quia alii contradicunt, & res non est certa, sic baptizatus in necessitate sub conditione est rebaptizandus, si superviverit. Dixi, *modò tamèn fluat*, & hinc

Petes 2. Quomodò aqua debeat tangere corpus? R. quòd debeat tangere successivè mediante actione Ministri, sive successio oriatur ex motu locali aquæ ad corpus, sive corporis ad aquam; quia, si aquæ contactus non sit successivus, puta si gutta aquæ immotè maneat in fronte, non potest dici homo moralitèr ablutus. Talis autèm requiritur ablutio ex institutione Sacramenti, qua homo dicatur moralitèr ablutus. Non est tamèn necesse, quòd revera abstergat sordes; hoc enim non obstante est vera ablutio corporis. Addidi, hunc motum successivum debere fieri a Ministro, seu mediante ejus actione; alioquin non posset verè dicere: *Ego te baptizo.* Undè colliges, quòd, si videns puerum cadentem, aut ab alio projectum in flumen, vel aspersum, aut infusum, proferam verba formæ, nullum sit Sacramentum; quia ego verè non abluo. Probabile est valere, si infantem submittam aquæ e tecto defluenti proferendo formam. At valdè dubium, si baptizetur nive, vel glacie, a Ministro quidem applicata, sed in corpore baptizati tantùm resoluta; quia videtur, quòd iste aquæ motus non sit a baptizante, sed a baptizato, mediante ejus corporis calore. Posset fortè dici, quòd sit etiam ab applicante, quia si non applicaret, non resolveretur. sed ut dixi, id valdè dubium est.

Petes 3. In qua parte corporis fieri debeat ablutio? R. (*Hic art. 7. ad 3. & infr. q. 68. art. 11. ad 4.*) debere fieri in capite: ità ut, si fiat in alia parte, Baptisma sit dubium, & iterandum sub conditione; quia caput est præcipua sedes animæ, & in eo omnes sensus fundantur, & maximè vigent. Et hæc est communis Ecclesiæ praxis, quam Ritualia præscribunt, præsertìm Romanum, tit. de baptizandis parvulis, his verbis: *Nemo in utero matrum clausus baptizari debet; sed si infans caput emiserit, & periculum mortis imminet, baptizetur in capite: nec posteà, si vivus evaserit, erit iterùm baptizandus.* (Quidam idem censent, si ablutio fiat in pectore vel scapulis, quia sunt partes notabiles: sed id non est certum, neque præsenti Rituali satis conforme) *At, si aliud membrum emiserit, quòd vitalem indicat motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; & tùnc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus: si verò ità baptizatus deindè mortuus proderit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Hæc videntur quasi exscripta ex Auctore secundo loco cit. in margine, ubi plura dicam de infante ex utero matris nondùm egresso.

Petes 4. An aqua debeat immediatè tangere corpus? R. affirmativè: quia alioquin non censetur homo verè abluì. Hinc inferes, non valere Baptismum, si aqua tantùm tangat vestes, aut etiam pelliculam, quam vocant galeam nativitatis; quia hæc juxta plures non est pars, sed potiùs involuerum corporis Undè debet dividi, ut aqua pertingat ad corpus: id saltèm est tutius.

Utrùm verò valeret, si aqua tantùm tangeret capillos, aut ungues, res est valdè dubia. Si enim dubium sit de digito, vel pede, a fortiori de unguibus, & capillis, qui licèt anima totius vivant, videntur tamèn potiùs excrementa, vel ornamenta corporis, quàm ejus partes; neque, qui in unguibus, aut capillis tantùm ablueretur, diceretur moralitèr ablutus. Ideòque probabiliùs existimo, non valere.

Petes 5. Utrùm validè conferatur Baptismus per ablutionem occisivam? R. Duplex distingui debet ablutio occisiva; una occisiva ratione materiæ, puta, si baptizaretur infans aqua ferventi, aut venenata: altera ex se occisiva, ut, si quis infantem morientem projiciat in altum puteum cum prolatione formæ, & intentione baptizandi. De 1. casu non est difficultas. Omnes enim conveniunt validum esse Baptisma, quia calor aut venenum non impedit quin maneat vera species aquæ, & fiat vera ablutio etiam moralitèr, sicùt panis venenatus non desinit esse verus panis, & verè manducari. Neque obstat, quòd Christus non instituerit pro materia Sacramenti actionem malam: hæc enim, licèt ut occisiva sit mala, attamèn ut ablutio præcisè non est mala, & sub hac ratione Deus illam instituit pro materia Sacramenti, ad eamque sub eadem ratione concurrit, sicùt concurreret ad sacrilegam consecrationem, non ut est sacrilega, sed ut est actio a Christo instituta. De 2. ergo casu est difficultas. Scotus cum suis, S. Antoninus, Sylvester, Soto, & plures alii negant, in eo casu validum esse Sacramentum: Quia Christus pro materia proxima Baptismi instituit non quamcumque ablutionem, sed ablutionem usualem, & moralem, seu quæ sit, & dicatur ablutio secundum humanum, & communem sensum, sicùt pro materia Eucharistiæ instituit panem usualem, non farinam aqua subactam, vulgò *pate*, licèt a pane physicè non distinguatur; atqui, inquiunt, qui projicit infantem in puteum, ex quo non potest emergi, secundum communem, & humanum sensum non dicitur velle abluere, sed occidere. Non quidèm quòd emersio sit necessariò requisita ad ablutionem; potest enim quis sub aquis detentus verè, & moralitèr ablui, etiamsi suffocetur; sed emergibilitas. Dùm enim, addunt, quis e ponte projicit in fluvium canem mortuum sordidum, non dicitur velle ipsum abluere, quia non est emergibilis; diceretur autèm velle abluere, si canis esset vivus, quia esset emergibilis; licèt fortè per accidens suffocetur.

Ad id, quod reponit contraria sententia, hanc projectionem in casu determinari ex circumstantiis, ut sit, & dicatur moralitèr ablutio; quia nempè puer, vel sic est baptizandus, vel damnandus: undè videntes piam matrem projicientem in puteum prolem morientem, quam sciunt non esse baptizatam defecta aquæ, censebunt, & dicent illam projicere prolem suam, ut lavet, & baptizet. Ad hanc, inquam, solutionem respondent, Christum pro materia proxima Baptismi instituisse ablutionem, quæ sit humana, & moralis, non per circumstantias ipsius Baptismi, sed quæ communitèr, & moralitèr dicebatur ablutio ante Baptismi institutionem; & cum hæc projectio non sit ablutio mo-

moralitèr seclusâ institutione Baptismi, non est instituta a Christo pro materia Baptismi. Aliam viam init recens Scriptor Gislenus Daëlman; censet, hunc Baptismum esse invalidum, quia, inquit, Minister debet habere, vel aquam, vel baptizandum in sua potestate, alioquin forma, *Ego te baptizo*, esset falsa: in casu autèm Minister, nec aquam, nec baptizandum habet in sua potestate, pro 1. sententia.

Altera sententia, quæ est Panor. Gabrielis, Nugno, Ledesma, Suarez, Layman, Bonac. ex recentioribus Gonet, Boudart, Berti, &c. tenet, Baptismum in casu esse validum, quia adsunt omnia requisita ad ejus valorem, materia, forma, & intentio Ministri. Contendunt enim, per hanc projectionem infantem verè abluì; & quia reverà abluitur, projiciens dicitur etiam secundùm humanum sensum velle abluere, sicùt quia occiditur, dicitur velle occidere; utrumque enim vult, quia utrumque facit, cùm nemo spontè aliquid faciat, quod non vult facere. Ad exemplum canis mortui projecti in aquas; etiam volunt, quòd verè lavetur, & ideò posse dici de projiciente, quòd velit lavare, quia de facto lavat. Insupèr discrimen est, quòd projectio infantis censeatur ulteriùs moralis ex circumstantiis, ut dictum est. Neque concedunt, Christum requisivisse ablutionem, quæ antè Baptismi institutionem esset moralis, sed quæ tùnc erat, aut posteà foret moralis. Ad fundamentum Doctoris Daëlman respondetur, videri falsum: quia, si Minister supèr infantem, primò fune suspensum, ut possit in puteo mergi, & emergi, sed fracto fune immersum, formam cum intentione baptizandi proferat, infans est ablutus, & baptizatus, licèt tùnc, nec baptizandus, nec aqua sit in potestate baptizantis. Similitèr, qui de ponte projicit canem vivum in quam, ipsum lavat, & lavare moralitèr dicitur; quamvis tamèn tùnc, nec canis, nec aqua sint in ejus potestate. Sufficere ergo videtur, ut quis abluere dicatur, quòd penès ipsum fuerit projicere, vel non projicere in aquas.

Quamvis 1. sententia propèr primam rationem videatur mihi tantillùm probabilior; censeo tamèn casum valdè dubium. Sed quidquid sit de validitate hujus Baptismi, certum est numquàm licere sic baptizare infantem, etiamsi sine Baptismo moriturum: quia hoc esset occidere innocentem; numquàm autèm licet facere mala, ut eveniant bona.

Petes 6. Dùm Baptismus sub trina immersione, aut effusione confertur, quandonàm habeatur essentia Sacramenti? R. Quandò Minister baptizat secundùm intentionem Ecclesiæ, tùnc habetur essentia Baptismi, quandò posita aliqua immersione, aut effusione finitur forma; quia tùnc habentur omnia essentialitèr requisita. Undè, si infans moriatur post primam ablutionem, & integrè pronuntiatam formam, est verè baptizatus. Si autèm baptizans non intenderet facere Sacramentum, nisi finitis tribus ablutionibus, non nisi tùnc esset Sacramentum ratione intentionis. Cæterùm pro praxi, & ad vitandum omnem scrupulum, observandum est, quòd præscribit Rituale Rom. scilicèt ut ad primam ablutionem dicatur *in nomine Patris*, ad secundam, *& Filii*, ad tertiam, *& Spiritûs S.*

Petes 7. Qui ritus olim observabantur in trina immersione? R. 1. Erant Baptisteria intrà ipsam Ecclesiam, vel ad ejus fores, ad instar balnei, vel piscinæ, cum multis gradibus, profunda, & ampla, pluribus simùl continendis apta. 2. Baptizandi, sive infantes, sive adulti, tàm masculi quàm fœminæ, omninò nudabantur, quam nuditatem antiqui comparant nuditati, in qua creatus est Adam, eaque significabatur baptizandum prorsùs exuere veterem hominem. Multis tamèn modis pudori mulierum consulebatur, & Ministrorum periculo occurrebatur. Primis Ecclesiæ sæculis erant Diaconissæ, quæ mulieribus nudandis, & induendis aderant. Mulieres seorsim a viris, sive in distincto Baptisterio, sive diverso tempore baptizabantur. In aliquibus locis velum circà Baptisterium extendebatur, ità ut Minister accederet ad baptizandum potiùs cùm audiret, quàm cùm videret esse aliquem in aqua. Alibi alitèr. 3. Baptizandi, & baptizandæ erant toto corpore tecti in qua, excepto capite. Minister autèm mergebat, vel inclinando caput in aquas, vel deprimendo manu apposita supèr humerum, aut inter scapulas; vel alevatos iterùm deprimendo, toto enim corpore immergebantur. Et cùm erant ponderosiora corpora, Patrinus, aut Matrina Ministrum juvabant. 4. Post trinam immersionem sub invocatione Trinitatis baptizati exibant e sacro Fonte, & suscipiebantur cum velamine, viri a Diaconis, aut Patrinis, mulieres a Diaconissis, aut piis mulieribus, vel matrinis. 5. Tandèm vestiti confirmabantur ab Episcopo, & sacra Eucharistia reficiebantur.

ARTICULUS IV.

De Forma Baptismi.

CIrca formam Baptismi erraverunt plures Hæretici. 1. Quidam baptizabant in morte Christi, ut constant ex Can. 49. vel 50. eorum, qui dicuntur Apostolici. 2. Gnostici, qui & dicti Marcosiani a quodam Marco, baptizabant *in nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit, in unione, & redemptione, & communione virtutum.* Ità Irenæus libr. 1. c. 22. & Euseb. libr. 4. Hist. Eccl. c. 11. 3. Manichæi, dicti Cataphryges, eò quòd conventus suos agerent in Phrygia, baptizabant *in Patrem, & Filium, & Montanum, seu Priscillam.* 4. Paulianistas formam adulterasse, patet ex Can. 19. 1. Concilii generalis Nicæni, ubi jubentur rebaptizari. Idem de Sabellianis constat ex Can. 7. Concilii I. generalis Constantinop. 5. Ariani tempore Conc. Nicæni non videntur formam Baptismi corrupisse, cùm in eo non jubeantur rebaptizari ut Paulianistæ. Undè quod Athanasius orat. 3. & Hieron. adv. Lucifer. dicunt, Arianos baptizare in Creatorem, & creaturam, non intelligendùm est de prolatione formæ, sed de mente, & sententia proferentium. Postmodùm verò fuisse quosdam Arianos, qui non servabant formam, scribit Theodorus Lector libr. 2. Collectaneorum, ubi dicit, Deuterium Episcopum Arianum baptizasse quemdam nomine *Barbam* sub his verbis: *Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu S.* Idem liquet ex eo, quòd Brunichildis, seu Bruna, Athanagildi Gothorum Regis filia, a Gothis Arianis baptizata, Gallias adveniens, ut Sigiberto Regi nuberet, fuerit rebaptizata, ut refert Aimonius Monachus Floriacensis libr. 3. Hist. Francorum c. 4. 6. Eunomianos, Arianorum germen, formam temerasse constat ex Can. 7. Conc. 1. generalis Constantinop. & ex Theodoreto libr. 4. Hæret. Fab. c. 3. idem de Bonosiacis aliquibus ex Greg. Mag. libr. 9. Ep. 61. nùnc libr. 11. Ep. 67 & ex Pelagio II. in suo ad Gaudentium responso: non tamèn omnes Bonosiacos formam adulterasse, habemus ex Con. 2. Arelat. Can. 17. Itèm quosdam Afros formam non servasse, constat ex 1. Conc. Arelat. Can. 8. Tandèm hodierni Hæretici, quamvis formam legitimam in baptizando adhibeant, eam tamèn non reputant necessariam, quia existimant non vi Sacramenti, sed sola fide suscipientis justificationem haberi. Undè Lutherus de captivit. Babyl. c. de Bapt. & Zuinglius libr. de vera, & falsa Relig. scribunt. Baptismum sub quacumque forma collatum esse validum.

His præmissis, quærimus 1. Quæ sit legitima forma Baptismi? 2. Quæ sint in ea verba essentialia? 3. Utrùm aliquandò ab Apostolis collatum fuerit in nomine Christi? 4. Leviores Quæstiones proponentur. Undè sit

§. I. *Quæ sit Forma legitima Baptismi.*

APud Latinos forma Baptismi est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* Ista apud Græcos: *Baptizatur*, vel *baptizetur servus Christi N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* Dixi: *baptizatur, vel baptizetur;* quia antiqui Scholarum Magistri, inter quos S. Thom. hic art. 5. o. exponunt formam Græcorum imperativè, vel deprecativè per *baptizetur.* Plures verò recentiores Juenin, Tournely, Berti, & alii contendunt, eam esse enuntiativam per verbum *baptizatur*: idque probant ex antiquis Græcorum Euchologiis, ab Arcudio, & a nostro Goartio editis, in quibus forma effertur enuntiativè per verbum *baptizatur:* sed quovis modo dicatur, non multum interest, ut dicemus modo.

Dico 1. (*Hic art. 4. o.*) Hæc Latinorum forma: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. est legitima. Prob. ex Conc. Florent. in Decreto unionis, ex Trid. sess. 7. Can. 4. ex Rituali Rom. & aliis, quæ illam formam præscribunt; ex praxi totius Ecclesiæ Occidentalis, quæ illam servat, & semper servavit. Colligitur autèm ex cap. ult. Matth. ubi Christus, tradens ritum Baptismi, dixit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* Et quamvis Christus non dixerit, hæc verba esse pronuntianda, sic tamèn sempèr intellexit Ecclesia, quæ est fidelis, & infallibilis verborum Christi Interpres. Ratio a priori nulla est præter voluntatem Christi sic instituentis; quæ voluntas, ut dictum est, nobis innotescit ex praxi, doctrina, & definitionibus Ecclesiæ. Ratio congrua: (*Ibid.*) Convenit in Sacramento Baptismi exprimere causam illius instrumentalem, per quam perficitur exteriùs Sacramentum, & principalem, a qua tota virtus Sacramenti derivatur; atqui per hæc verba, *Ego te baptizo*, tangitur causa instrumentalis, & per ista *in nomine Patris*, &c. causa principalis: ergo.

Neque refert, quòd in Formis aliorum Sacramentorum non exprimatur eorum causa: hinc quidèm benè sequitur, quòd hæc expressio non sit necessaria; non sequitur tamèn, quòd non sit conveniens, si fiat. Insupèr sunt rationes speciales pro Sacramento Baptismi: 1. Quia est professio, & Sacramentum fidei, cujus objectum est Trinitas personarum in unitate substantiæ; quam ideò convenientèr exprimit. 2. Quia est Sacramentum regenerationis; & ideò conveniebat exprimi ejus causam.